COMMONEFACTIO ET POSTVLATIONES Regiorum Cognitorum,

NECNON

ARRESTVM CVRIÆ

Parlamenti Parisiensis die 26. Nouembr. 1610. latum

Aduersus librum inscriptum *Tractatus de Potestate Summi Pontificis in rebus Temporalibus aduersus Guilielmum Barclaium, autore Roberto S.R.E. Cardinali Bellarmino*, excusum Romę anno 1610.

ACCESSIT

EDICTVM PHILIPPI III.

HISPANIARVM REGIS ADVERSVS Tractatum de Monarchia Siciliæ Cæsaris S.R.E. Cardinalis Baronij.

Anno Salutis CIↃ IↃCXI.

Ex verbis Domini IESV CHRISTI in Euangelio ſecundùm Marcum c.x.

Scitis (inquit IESVS ad Diſcipulos) *quia hi qui videntur principari Gentibus, dominantur eis: & Principes eorum poteſtatem habent ipſorum.* Non ita eſt autem in vobis.

Ex Euangelio ſecundùm Lucam c.xxii.

Reges Gentium (ait IESVS Diſcipulis ſuis) *dominantur eorum: & qui poteſtatem habent ſuper eos* BENEFICI *vocantur.* Vos autem non ſic.

EX

EX ACTIS CVRIÆ PARLAMENTI PARISIENSIS DIE Veneris 26. Nouembris, CIↃ IↃCX.

HODIERNA die REGII COGNITORES in Curia, verba faciente Ludouico Seruino Aduocato Regio, ſubſcribente Ludouico Dureto primario ſubcognitore regio, dixerunt relatum ſibi, paucis abhinc diebus diſſeminatum fuiſſe in hac vrbe Pariſienſi nouum librum, cuius hæc eſt inſcriptio, *Tractatus de poteſtate ſummi Pontificis in rebus temporalibus, aduerſus Guilielmum Barclaium, auctore Roberto S. R. E. Cardinali Bellarmino*, Romæ per Bartholomæum Zanneti hoc anno 1610. excuſum: ex quo plura plures excerpta, bona fide alij, malo alij animo vulgauêre. Quoniã verò propoſitiones liber iſte continet, quę Regis authoritati & poteſtati, ac ſtatui Franciæ pręiudicant, de quo iuxta ac de aliis Regibus, Principibus & Rebuſpublicis temporalibus author loquitur, exemplar ſtudioſè ſibi comparauêre, quo accuratè lecto & expenſo, ſui cenſent officij

ea quę Poteſtatibus à Deo conſtitutis, huic regno potiſſimùm, aduerſantur, ad Senatum referre. Quamobrem hoc nouo tractatu non eas docere modò Cardinalem Bellarminum propoſitiones, quas prioribus ſcriptis aſſeruit, obſeruârunt: vt eo libro, cui titulus *De Romani Pontificis Hierarchia*, Sixti V. tempore ſcripto, & eidem Pontifici dicato, quem in quinque libros partitus eſt, quorum vltimo tuetur, *Papam habere poteſtatem temporalem indirectè*. Sed ad hoc erroneum dogma alia non minùs falſa, & vlteriùs progredientia, locis adnotatis quos Senatus, ſi ita viſum erit, hoc in libro intuebitur, adiici animaduerterunt. *Primùm notandus ipſe titulus, quo ſummo Pontifici poteſtatem tribuit in temporalibus. Dein è variis Italorum, Gallorum, Hiſpanorum, Germanorum, Anglorum & Scotorum ſcriptis authoritates nonnullas adfert, exordium à Gregorio VII. Pontifice, qui vixit anno Domini* 1073. *ducens: Aliquot excommunicationum quas alij Pontifices aduerſus Imperatores tulêre, exempla: quin ſententiam dicti Gregorij VII. anno* 1080. *aduerſus Henricum IV. Imperatorem, iungit. Item Concilia tempore quorundam dicti Gregorij VII. ſucceſſorum habita. Beneuentanum ſub Victore III. Placentinum ſub Vrbano II. Romanum ſub Paſchali II. Colonienſe ſub Gelaſio II. Rhemenſe ſub Calixto II. Lateranenſe ſub Innocentio III. anno* 1215. vnde illam texit indu-

Bellarminus de Romani Pontificis Hierarchia.

inductionem quæ pag.25.sequitur: *Quid hîc Barclaius diceret? si hæc non est Ecclesiæ Catholicæ vox, vbi obsecro eam inueniemus? & si est (vt verißimè est) qui eam audire contemnit, (vt Barclaius fecit) an non vt Ethnicus, & Publicanus, & nullomodo Christianus, & pius habendus erit? Si non habet summus Pōtifex potestatē in terris disponēdi de tēporalibus vsque ad depositionē Principum eorū, qui vel ipsi hæretici sunt, vel hæreticis quoquo modo fauent, cur in editione huius canonis nullus ex tanto numero reclamauit? cur ne vnus quidem ex tot Imperatorum ac Regum oratoribus mutire ausus est? Nondum videlicet Parasiti Principum temporalium exorti fuerant, qui vt regna temporalia stabilire viderentur, Regnum æternum iis quibus adulantur eripiunt.* Deinde Concilium Lugdunense tempore Pontificis Innocentij IV. anno 1254 habitum, ac latam in eo contra Imperatorem Fredericum II. sententiam subnectit. Ex hisce de autoris animo iudicet Senatus. Illi nimirum fuit propositum, Pontifici supremam in Reges & Principes temporales potestatem tribuere, iis etiam in ditionibus, quibus suam necessitas fixit legem, qualem in pacificis Edictis videre est, quæ à Rege Christianissimo Henrico III. lata, & ab Hērico IV. decessorem imitante sancita & in Curiis Parlamenti promulgata sunt, quibus Religionem, quam vocant reformatam, profitentes, quò bellis

ciuilibus parcatur, tolerantur. Quod obseruari à tanto Cardinali debuit, quem Romę *ceu Ecclesiæ triumphantis incolam* latere non potest, nos *in Militante*, sicubi locorum extat, in hoc Franciæ regno iactari. Ad hæc notandum quod c.3. pag.37. idem eiusdem libri autor confidenter asserit, *esse rem certam & exploratam, poße Pontificem Maximum iustis de causis de temporalibus iudicare, atque ipsos temporales Principes aliquãdo deponere.* Idem pag.38. *posse per summum Pontificem deponi Principes temporales, quando Ecclesiæ neceßitas id postulat, ac per hoc temporalem Principum potestatem spirituali potestati subiectam & subordinatã esse.* Postea subiicit, *Ex hoc principio satis apertè colligitur, esse in Romano* Pontifice *potestatem temporalia disponendi, vsque ad ipsorum Regum ac Imperatorũ depositionem. Nam per ipsam spiritualem potest summus* Pontifex *ligare* Principes *vinculo excommunicationis, potest per eandem soluere populos iuramento fidelitatis, ac obedientiæ: eosdem populos sub excommunicationis pœna, vt Regi excommunicato non pareant, atque vt alium sibi eligant Regem.* & pag.40. eodem cap.3. *Ecclesiastica potestas* (inquit idem Bellarminus) *nunc etiam separata est à Politica: non enim eadem, sed diuersa est potestas* Pontificum, *& Regum: sed quoniam, vt suprà diximus, potestas Ecclesiastica quæ spiritualis est, præest potestati Politicæ temporali, &*

li, & eam dirigere debet ad finem ſupremum vitæ æternæ, ideò poteſt in ordine ad ſpiritualia diſponere de bonis temporalibus. Verum autem eſt Apoſtolorum tempore politicam poteſtatem non quamcumque, ſed Regiã ſiue Imperatoriam fuiſſe apud Ethnicos totã, quia nulli tunc erant Reges, aut Imperatores Chriſtiani: ſed ex hoc nihil aliud ſequitur niſi poteſtatem Eccleſiaſticam eo tempore non habuiſſe paratam executionem, præſertim in temporalibus, vt hoc tempore habet. Ipſos verò Apoſtolos fuiſſe in poteſtate temporali Principum Ethnicorum, ſcripſi olim cum Alberto Pighio, & aliis nonnullis: ſed poſtea recognoſcens, & expendens diligentiùs libros meos, cenſui Apoſtolos de facto *ſubiectos fuiſſe Principibus illis, non* de iure, *vt in recognitione mea poſui.* Quod pag. 149. confirmat, vbi, *Eccleſia,* inquit, *illa prima inſtructa fuit omni poteſtate atque omnibus præſidiis quæ ad perfectam Rempublicam conſtituendam neceſſaria erant. Primis autem trecentis annis non fuerunt in Eccleſia multi Principes Politici: fuerunt tamen aliqui, vt Philippus Imperator, & Rex Lucius, ac Rex Donaldus. Sed fingamus nullos fuiſſe: non ideo defuit Eccleſiæ poteſtas diſponendi de bonis temporalibus Principum, & dirigendi eorum poteſtatem politicam. Quando illi Eccleſiæ membra vel filij effici vellent. Præterea vt paulò antè dixi in ipſo principio Eccleſiæ quãquam nulli fuerint Principes Chriſtiani Apo-*

ſtolis ipſis Eccleſiam regentibus: fuerunt tamen multi homines diuites, de quorum diuitiis Apoſtoli ipſi diſpoſuerunt, ſtatuentes vt ex iis miniſtros Euangelij ſuſtentarent. Idem cap. 21. pag. 177. probare pergit. *Iam* (inquit) *in recognitione ſcriptorum meorum admonui improbabilem eſſe ſententiam Pighij, quam ego quoque olim ſecutus fueram, & cum melioribus Doctoribus ſentiendum eſſe Apoſtolos de iure exemptos fuiſſe ab omni ſubiectione Principum terrenorum: ſed quamuis etiam vera eſſet ſententia Pighij, non tamen ſequeretur non habuiſſe tunc Eccleſiam ius priuādi Principes infideles dominio quod habebant ſuper fideles. Diceret enim Pighius Eccleſiam & ipſos Apoſtolos ſubiectos fuiſſe Principibus infidelibus quamdiu infideles erāt. Sed ſi ab Eccleſia auctoritatem Dei habente priuati fuiſſent, tunc demum non fuiſſe amplius de iure ſubiectos. Nam & populus ſubiectus eſt Regi quamdiu regnat: Sed ſi ab alio Rege victus in prælio regnare deſierit, nō amplius illi ſubiectus erit.* Item pag. 48. Barclaij verba citans, *Huc accedit* (*inquit Barclaius*) *quòd florente plurimum Republica Chriſtiana tum multitudine credentium, tum ſanctimonia Pontificum, tum eruditione & exemplis Doctorum, atque à malis interim Principibus vexata atque iactata, nulla de hoc principatu & iuriſdictione temporali in Principes ſæculares non dicam expreſſa & manifeſta declaratio, ſed ne leuiſſima quidem*

dem mentio facta sit. Respondeo (inquit Bellarminus) *Quærere possem à Barclaio vnde factum sit quòd in Testamento veteri tot sæcula transierint antequam Pontifex Regem deponi & alium substitui iußerit. Quod factum fuit cùm Ioïada Pōtifex Athaliam Reginam non solùm deponi, sed & interfici mandauit, & Ioas Regem substituit.* 4. Reg. cap. 11. Verùm qui accuratè hoc exemplum legerunt, inde nullum elici posse argumētum, quo idem hodie licere probetur, censebūt. Siquidem primò è Testamento Veteri desumpta est historia, cuius plurima rerum gestarum exempla, ob propriam temporis illius rationem, in sequelam hoc seculo trahi non debent: cùm magnum profectò inter ea quæ sub lege veteri gesta, & ea quę in Christianismo facienda sunt, discrimen intersit. Accedit quòd Athalia falsò Regina vocata princeps non fuit legitimè constituta: sed regni vsurpatrix, quæ (vt in capitis à Bellarmino allegati pricipio scriptū extat) vnū Ioas si demas, regis Achazię filium, ex fratrum cæde ereptum, prolem Regiam planè deleuerat. Hinc licet colligere, ea quæ ex hac promuntur historia, falsò iactatam Papę in temporalibus potestatem confirmare non posse. Item cap. 4. pag. 57. & 58. ita Bellarminus, *Excommunicatio est quidem instrumentum, quo Pontifices plerumque vti solent ad coërcendas huius sæculi potestates: sed etiam sine isto instrumento*

non semel Pontifices maximi de temporalibus dignitatibus pro Ecclesiæ vtilitate, & animarum salute disposuerunt, vt quum Zacharias Childericum Regem Francorum deponi mãdauit, & Pipinum inungi. Quod rebellium Francorum contumaciæ exemplum, nec debuit, nec in consequentiam trahi debet. Cap. 7. ad Barclaij quęstionem, *Cur Ecclesia Constantium Hæreticum, & Iulianum Apostatam Imperatores non deposuit*, paginis 75. & 76. *Imperatores illi* (inquit Bellarminus) *potentissimi erant, & multas legiones armatas ducebãt, aduersus quas nihil poterat inermis multitudo fidelium, præsertim cùm Principem aliquem Christianum non haberet qui vellet, aut posset eam armare, & armatam ducere aduersus Imperatores.* Eisdem pag. 76. & 77. citatis Barclaij verbis, *Addit Barclaius temporibus Constantij non defuisse in Ægypto, & Lybia, aliísque locis per Asiam & Europam Monachos permultos, in quibus non minor Zelus erat, quàm in illo qui Henricum tertium Francorum Regem confodit, qui si licuisset facilè Constãtium de medio tollere potuissent. Sic respondeo* (inquit Bellarminus) *Nõ pertinet ad Monachos, aut alios Ecclesiasticos viros cædes facere, vt habetur* 23. qu. 8. Can. & seqq. *multò autem minùs per insidias Reges occidere: neque Summi Pontifices consueuerunt ista ratione Reges coërcere: Ipsorum mos est primùm paternè corripere, deinde per Censuram Ecclesiasticam Sacramentorum*

torum

torum communione priuare: deinde ſubditos eorum à iuramento fidelitatis abſoluere, eóſque dignitate, atque auctoritate Regia, ſi res ita poſtulat, priuare. EXEQVVTIO AD ALIOS PERTINET. *Quare Innocentius Pontifex cùm in Concilio Lugdunenſi Friderico II. Imperium abrogaſſet, dixiſſe fertur.* EGO QVOD MEVM EST FECI, FACIAT ET PROSEQVATVR SVPER HIS DEVS QVOD VOLVERIT. Addantur ea quę pag. 160. De authoris mente iudicium penes Senatum eſto. Quo loco inquit, *Non negamus (vt paulò antè diximus) Sacerdotibus poſt Euangelium non licere propria manu gladium materialem ſtringere, niſi fortè in defenſionem propriam, aut ob aliam cauſam diſpenſante Pontifice.* Hæc verba adeò perſpicua ſunt, vt commentario non egeant.

Cap. xi. vbi collationem Pontificis Iulij II. & Clemẽtis VIII. inſtituit: paginæ 112. 113. 114. in bellicoſi Papæ laudes inſumũtur, Iulij videlicet qui iuratus & capitalis Frãciæ fuit inimicus, atque ab Hiſpanorum, qui tunc temporis hoſtes erant, partibus ſtetit. Eodem cap. fœdus quod Iulius cum Hiſpano iniit, ſummis laudibus extollitur, quo Ludouicus XII. (quantumuis meritum Populi Parentis elogium conſequutus eſſet) & totum regnum Francicum direptioni exponebantur. Nec non palàm eſt hac fœderatione ab Hiſpanis vſurpatum Nauarræ regnum, quod adhuc nõ alio co-

lore seu titulo detinent, quàm Bullæ Excommunic. huius Iulij Pontificis minimè cum Clemente VIII. comparandi, qui nullas sequutus partes, sed pace inter vita functũ regem nostrũ Christianissimum, & Hispaniæ regem cõciliata, vt communem parẽtem & Christianitatis pastorẽ decuit, boni Pontificis partibus est defunctus.

Cap.xij.pag.115.116.Sic Bellarminus,*Cùm dixit Innocentius Papa in cap.*per venerabilem, *nonnullos Principes nullum inter homines*(id dixit excepto Romano Pontifice)*superiorem agnoscere. Addidit enim illam exceptionem,vt cùm postea dixit Regem Francorum nullum in temporalibus superiorem agnoscere, intelligamus sermonem fuisse de superioribus temporalibus: Non enim Rex agnoscit vllum supra se Principem temporalẽ, sed agnoscit Romanum Pontificem Principem spiritualem, qui de temporalibus quoque in ordine ad spiritualia iudicare potest.* Quo loco plura sunt obseruanda. *Primò* Interpretationem capitis *per venerabilem*, à Bellarmino cum horum verborum, *excepto Romano Pontifice*, additamento fieri, quod ab ipso Bellarmino *ipsius Regis Francorum habita ratione*, aduersus expressa Innocentij III.verba, qui huius capitis autor, excogitatum est. *Secundò* interpretationem illam sensui Decretalis aduersari, quod ab iis iudicari potest, qui cognitione & præteritorum recordatione præditi sunt, &

eam

eam prout extat in antiquis Decretalium collectionibus, viderunt, quas Antonius Augustinus Ilerdensis in Hispania Episcopus publicauit anno 1576. Etenim in hisce collectionibus quę fideliter Decretales habent integras, hoc caput *per venerabilem*, dirigitur VV. Montispessulani, quem Pontifex Innocentius III. adhibito inter Regem Francorum, & istum Montispessulani discrimine, his verbis alloquitur: *Cùm Rex ipse* (Francorum videlicet, de quo suprà mētionem fecerat) *in spiritualibus nobis subiaceat, tu* (nempe VV.) *nobis in spiritualibus & temporalibus es subiectus, cùm partem terræ tuæ ab Ecclesia Magalonensi poßideas, quam* (inquit Pontifex) *ipsa per sedem Apostolicam temporaliter recognoscit, quia Magalonensi Ecclesia mediante nobis idem Archiepiscopus asserebat temporaliter subiacere.* Mox in eadem Decretali subiicitur, *Insuper cùm Rex ipse superiorem in temporalibus minimè recognoscat, sine iuris alterius læsione in eo se iurisdictioni nostræ subiicere potuit & subiecit: in quo forsitan videretur aliquibus quòd per se ipsum nō tanquam pater cum filiis, sed tanquam Princeps cum subiectis potuit dispensare. Tu autem aliis nosceris subiacere, vnde sine ipsorum forsan iniuria, nisi præstarent assensum, nobis in hoc subdere te non posses.* Quod ideo hoc loco recitatur, quia est argumentum declarationis, qua magnus ille Pontifex Innocentius

Innocentij III. Papæ verba.

III. à Rege noſtro, *Rege* inquam *Francorum*, nullum ſuperiorem in Temporalibus recognoſci, fatetur & agnoſcit. Quod alienum valde ab eo quod dixit Bellarminus, ita ſcripſiſſe aut ſenſiſſe Innocentium Papam, imponere conatus. Eodem cap.xij.p. 118.nouam ponit deciſionē, *Poteſt* (inquit) *Pontifex, ſi neceſſarium ad ſalutem animarum ſit, alicui Regnum auferre: Sed ſi antea admonuerit, ſi ſpatium reſipiſcendi dederit, ſi pernicioſum & incorrigibilem eſſe perſpexerit. Poteſt quoque alteri Regnum conferre, non pro arbitrio tamen cui libuerit*, (Sic enim verè precariò regnarent) *ſed cui iure debetur, ſiue ſucceſsio, ſiue electio locum habeat. Et ſi fortè nemini debeatur, cui ratio dictauerit eſſe tribuendum.* Expendet Senatus, ſi lubet, hęc verba, & eorum ſequelam, habita temporum noſtrorum ratione. Atque ea quæ regnum hocce hæreditarium iampridem Dei gratia conſtitutum & cōſeruatum ſpectant, accuratè notabit.

Capite xvij. p.149.150. ita Bellarminus, *Adducit Barclaius verba S. Bernardi ex lib.*4. de Conſideratione, *capite* 3. *Petrus hic eſt qui neſcitur proceſsiſſe aliquando gemmis ornatus vel ſericis, non tectus auro, non vectus equo albo, nec ſtipatus milite, nec circumſtrepentibus ſeptus miniſtris: Abſque his tamen credidit ſatis poſſe impleri ſalutare mandatum*, Si amas me, paſce oues meas: *In his ſucceſsiſti non Petro, ſed Conſtantino.*

Hæc

Hæc Bernardus. Quibus ſubiungit Barclaius: *Quamuis itaque poteſtas temporalis, de qua nobis ſermo, hominibus videri potuerit, Eccleſiæ neceſſaria, Deo tamen neque neceſſaria, neque vtilis viſa eſt. Reſpondeo* (inquit Bellarminus) *Poſſet hoc loco Barclaio dici quod in libro Iob. c. 38. Deus ipſe dicit,* Quis eſt iſte inuoluens ſententias ſermonibus imperitis ? *S. Bernardus ſcribit Apoſtolum Petrum pauperem fuiſſe diuitiarum huius mundi, & potuiſſe ſine auro & argento proprio, ſine equo albo, & ſine ſatellitibus implere ſalutare mandatum paſcendi oues: non tamen ſanctus Bernardus dicit non fuiſſe in Apoſtolo Petro poteſtatem diſponendi de tẽporalibus bonis Chriſtianorum, & de ipſis regnis, & imperiis, ſi neceßitas ſpiritualis id requirat:* imò contrarium dicit, *cùm Pontifici, qua Pontifex eſt & Chriſti Vicarius ac Petri ſucceſſor, applicat illa verba Hieremiæ* 1. Ecce conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas, & diſperdas, & diſſipes, & ædifices, & plantes. *Non enim pugnat paupertas propria cum poteſtate diſponẽdi de diuitiis, & iudicãdi Reges & Principes terræ.* Qui D. Bernardum ſecundo libro *de Conſideratione ad Eugenium Papam cap.* 6. legêre, eum in cõtraria prorſus Bellarminianæ ſtare ſententia animaduerterunt. Nam pius & laudatus ille Bernardus locum Hieremiæ de poteſtate ſpirituali, non de temporali explicuit. Ideo recitatis

D. Bernardus lib. 2. de Cõſider. ad Eugenium Papam.

Prophetæ verbis ſic ait, *Quid horum faſtum ſonat? Ruſticani magis ſudoris ſchemate quodam labor ſpiritualis expreſſus eſt. Et nos igitur vt multum ſentiamus de nobis vel nobis impoſitum ſenſerimus miniſterium, non dominium datum, Non ſum ego maior Propheta, etſi fortè per poteſtates: ſed meritorum non eſt comparatio. Hæc loquere tibi, & doce te ipſum qui alios doces. Puta te velut aliquem de Prophetis. An non ſatis ad te? Et nimium: ſed gratia Dei es id quod es: Quid? Eſto quod Propheta, Numquid plus quàm Propheta? Si ſapis, contentus eris menſura quam tibi menſus eſt Deus.* Nam quod amplius eſt, à malo eſt. *Diſce exemplo Prophetico præſidere, non tam ad imperitandum, quàm ad factitandum quod tempus requirit: Diſce ſarculo tibi opus eſſe, non ſceptro, vt opus facias Prophetæ. Et quidem ille non regnaturus aſcendit, ſed extirpaturus.* Quod magnus hic & ſanctus vir ab alio ſancto magnóque Pontifice hauſerat Gregor. I. qui 3. *Paſtoralis curæ l. admonitione* 35. ita locum Prophetę expoſuit, *Hinc eſt quod Hieremiæ miſſo ad prædicationem dicitur: Ecce enim conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna, vt euellas &c. Quia* (inquit Gregorius) *niſi prius peruerſa deſtruxerit, ædificare vtiliter recta non poſſet: Quia, niſi ab auditorum ſuorum cordibus ſpinas vani amoris euelleret, nimirùm fruſtra in eis ſanctæ prædicationis verba plantaret.*

Hinc

Hinc est quod Petrus euertit, vt postmodum construat. Iam ad Cardinalem Bellarminum cap. 19. pag. 159. transeamus, vbi verba Barclaij refert. *Sed quid? si Imperator* (inquit Barclaius) *nolit ad nutum Sacerdotis gladium stringere? Imò si planè cõtra nutum Sacerdotis strinxerit, numquid aliquam S. Bernardus hoc casu potestatem tẽporalem Sacerdoti tribuit in Imperatorem?* Quibus hæc notanda regerit. *Respondeo* (inquit Bellarminus) *Si nolit Imperator ad nutum sacerdotis gladium stringere, vel si cõtra nutum eius strinxerit, & res sit ad bonum spirituale necessaria, coget illum Pontifex gladio spirituali, id est censuris Ecclesiasticis, gladium materialem stringere, aut in vaginam recondere: & si censuris non mouebitur, & Ecclesiæ necessitas id requirat, liberabit subditos eius ab obedientia, eique imperium abrogabit. Ita ostendet gladium esse sub gladio, & vtrumque gladium ad potestatem Ecclesiæ pertinere, quamuis non eodem modo.* HIC Senatus primariam rationem, si hæc ratio dicenda, in memoriam reuocet, quam nouissimus allegauit parricida, qua motus sacrum Henrici IV. Regis defuncti caput parricidali manu ausus est opprimere. Nã de expeditione Cliuensi ac Iuliacensi loquẽs, ad quam seseRex fœderatis Principibus Germanis laturus suppetias, accingebat, execrabilis parricida coram Iudicibus se existimasse, inuito Pontifice hoc

bellum geri. Eum verò qui Pontifice inuito bellum aggrederetur, etiam aduersari diuinæ voluntati, Deum Papam esse, Papam Deum, respondit. Quæ propter fœdera à Rege defuncto pacta, quę Reginę Regentis salutari prudētia ad Regni bonum obseruantur, diligenter pensanda sunt. Cap. 21. pag. 174. sententiam suam, de Regiæ aut alterius cuiuspiam supremæ Potestatis constitutione, profert, *Vt gubernentur homines à Regibus, vel à Consulibus, ab vno, vel à multis, à magistratu perpetuo, vel temporario ab hominum voluntate depēdet. Quemadmodum etiam quòd iste sit Rex potiùs quàm ille, non Dei specialis iußio, sed hominum voluntas fecit.* Quo loco Senatus iudicet, num hæc verba doctrinæ veritatis & scientiæ politicæ, circa Monarchiarum aut Potestatū (quarum est imperium) constitutiones, consonent. Cap. 24. pag. 188. inquit, *Quòd quando Reges fiunt hæretici, aut religioni obsunt, possunt ab Ecclesia iudicari, & etiam deponi à principatu, nec vlla fiet eis iniuria si deponātur.* Cap. 27. pag. 20. ait, *Quòd quando summus Pontifex propter hæresim, aut aliam iustam causam soluit populos à iuramento fidelitatis, simul etiam soluere solet à vinculo promißionis, ac iubere vt populi non amplius obediant ei cui promißionem obedientiæ fecerant.* Cap. 31. Dialogum author *Inter populum nimis addictum Regi terreno, & Pontificem salubriter cōsulentem*

insti-

inſtituit: qui extat pag. 215. ad 227. vſque continuatus, vbi à Pontifice poſtulans populus introducitur, *Pater ſancte, nequaquam es Rege noſtro in temporalibus ſuperior, eóque non potes obſequium temporale quod illi præſtamus impedire.* Ad quæ Bellarminus inducit reſpondentem Papam, *Quando ſalus tua æterna in periculum adducitur propter obſequium temporale quod Regi præſtas, tunc omnino ſum ſuperior Rege tuo etiam in temporalibus: Nam & illum & te ad vitam æternam dirigere debeo, & omnia impedimenta de medio tollere quæ hoc iter impediant.* Cætera huius Dialogi eôdem ſpectant: maximè quod pag. 224. notandum, *Nõ ego tibi gratiam facio præcepti naturalis vel diuini, cùm ab obedientiæ vinculo te abſoluo. Non enim permitto vt Regi non pareas, (quod eſſet contra ius diuinum) ſed facio vt ille qui tibi Rex erat, non ſit tibi deinceps Rex.* Ibidem quod author ait notandum, *Attende primùm Deum iubere vt pontifici obedias in ſpiritualibus, ſed non iubere vt in ſpiritualibus tantum: Imò iubere vt Regi qui legitimè regnat, non Regi qui ob hæreſim, vel alia iuſta de cauſa regno priuatus eſt.* & cap. 33. pag. 232. *Quod autem Barclaius dicit poſſe Principem excommunicari, ſed non poſſe priuari niſi ſpiritualibus bonis, ac per hoc non poſſe priuari auctoritate, vel iuriſdictione, vel dominio temporali, neque poſſe ſubditos eius abſolui à fidelitate & obe-*

dientia quam illi debebant. Mirum est (inquit Bellarminus) *cũ sacri Canones, (quorum scientiam ipse profitetur) inter excommunicationis effectus ponant non solum priuationem sacramentorum & suffragiorum, sed etiam commercij ciuilis ac præcipuè forẽsis, vt nõ poßit excommunicatus pro tribunali sedêre & iudicare, neque subditi comparêre in iudicio coram excommunicato : Item priuationem, vel suspensionem iurisdictionis, & absolutionem subditorum à fidelitate. De qua re apud Gratianum* 15.4.6. *can.pen.* Pag.254.cap.36.*Falsum est* (inquit Bellarminus) *quod Barclaius nimiùm sæpè repetit corporalem pœnam in solius politici Magistratus potestate sitam esse, cuius contrarium praxis ostendit, præsertim in tribunali sancti Officij.* Quale hoc tribunal, quò spectet, obseruanda quæ de illo Bellarminus c. 39. p.264. vbi, *Ostendere*(inquit) *voluimus posse Principes Ecclesiasticos non solùm in foro interno conscientiæ, sed etiam in foro externo Ecclesiastico disponere de temporalibus, vt ad spiritualia ordinem habent.* Si commonstrãdũ esset quò hæ duæ *fori duplicis Ecclesiastici, vnius interni, alterius externi,* species ferantur, multa quidem dicenda, sed plura cogitanda forent. Eodem cap.36.pag.256. *Potest* (inquit Bellarminus) *Pastor ac debet omnes oues ita pascere vt eis conuenit: Ergo potest* Põt*ifex Christianis ea iubere, atq; ad ea cogere, ad quæ quilibet eorum secundum*

statũ suũ tenetur, id est singulos cogere vt eo modo Deo seruiãt, quo secundùm statum debent. Debent autem Reges Deo seruire defendendo Ecclesiam, puniendóque hæreticos & schismaticos. Ergo potest Pontifex *ac debet Regibus iubere vt hoc faciant, & nisi fecerint, etiam cogere per excõmunicationem, aliásque commodas rationes.* Ac vt quæ sint *illæ commodæ rationes* intelligatur, eas pag. 257. exponit, quo loco *Posse* (inquit) *Pastorem summum Christianorum cogere omnes ad officium suum præstandum in obsequium Dei, nõ intelligitur de sola coactione per excommunicationem, sed etiã per priuationem regnorum & principatuum, si ad salutem gregis idem* Pastor *expedire iudicauerit.* Cap. 37. pag. 261. quod scripserat Barclaius carpitur. *Quod dixi* (inquit Barclaius) *Papam posse separare Regem hæreticum à communione fidelium per excommunicationem, de separatione spirituali animarum non corporum intelligendum est: subditi enim Regi excommunicato obsequium denegare non debent.* Ad quę respondens, *Hæc ille qui sine dubio* (inquit ipse Bellarminus) *vt etiam suprà docui, non permittit per* Pontificem *interdici Regi hæretico administratione regni, & curatorem illi dare, vt ipse fatetur datum Regi Oziæ filium curatorem.* Quod exemplum à Bellarmino confirmandæ suæ cõtra Barclaij sententiam opinioni citatur. Hæc sunt quæ passim nouo *Cardinalis*

Bellarmini libro inſperguntur *de Poteſtate quam Pontifici in Regum vitam ditionéſque tribuit*, quos inter, Chriſtianiſſimi Francorum Regis vt & aliorum mentionem facit, exemplis amplificans quæ olim ſcripſerat. Quod ab ipſo nouè factum, vt ampliùs quàm prioribus tractatibus, ſpiritui Romano gratificaretur. Etiamſi iam tum plus ſatis contra ipſiſſima Domini noſtri Ieſu Chriſti verba, Apoſtolorum ſcripta ſanctorúmque Conciliorum ac Patrum decreta loquutus eſſet: qui tamen omnes ſupremas Poteſtates, vt à Deo conſtitutas coluerunt. Verumtamen quotquot fulciendę ſententię authoritates attulit, eam minimè firmant. Quippe quod dictis confirmandis allegat, quinque potiſſimùm nititur exemplis. I. Diſceptationis Gregorij II. Pontificis aduerſus Orientis Imperatorem. II. Eorum quæ in Gallia contra Childericum regem in Pipini gratiam ex Zacharię Pontificis conſilio geſta ſunt. III. Iudicij quod Gregorius VII. Pontifex Hildebrandus vocatus, aduerſus Imperatorem Henricum IV. exercuit anno Domini 1080. IV. Eorum quę in Concilio Lateranenſi anno 1216. habito, aut ab Innocentio III. in eo Concilio & pòſt, acta dicuntur. V. Eorum quæ Innocētius IV. in Lugdunenſi Concilio contra Fridericum II. Imperatorem pręſtitit. Etſi autem nouimus & nimis quod in Senatu Roma-

no

no dicebat Montanus, aduertimus *Quod diutiùs durant exempla quàm mores vel homines*: attamen eiuſcemodi exempla tantùm in generoſa verorum Chriſtianorum pectora virium habere nequeunt. Vt enim à Gregorio II. ordiar, eius memoriæ facit iniuriam, quiſquis eum aduerſus Leonem III. Imperatorem Orientis quicquam dicit, præterquàm *in ſpiritualibus*, pronunciaſſe. Quam ob rem Platina ſcribit, eum populos Italiæ cohortatum ne Imperatoris aduerſus Imagines edicto morem gererent. *Qua cohortatione* (inquit) *adeò animati ſunt Italiæ populi, vt paulum abfuerit quin ſibi alium Imperatorem deligerent: quo minus autem id fieret, authoritate ſua obſtare Gregorius annixus eſt.* Quod ad II. attinet, quæ in Pipini gratiam hoc in regno acta ſunt, aut de Pontificis Zachariæ conſilio euenêre, (vt ſcripſit Ado Archiepiſcopus Viẽnenſis in Epitoma Chronicorum, cùm ſciſcitantibus quibuſdam Gallis, vter Regno dignior eſſet, qui rempublicam gereret, an qui marceret otio, reſpondiſſet, *Regem potiùs eum vocari debere qui Rempublicam gereret*) aut Pipinus ad Regiam dignitatem mera vi euectus eſt: quacunque factum id ratione, mali fuit exempli, non ſecius quàm cęteræ in reges rebelliones. Quantum ad III. exemplum à Gregorio VII. petitum: ipſe qui Regię dignitatis tuendæ verba facit, plurimas magnoꝗ

Platina in vita Gregorij II.

Ado Archiepiſcopus Viennenſis de Zacharię Pontificis conſilio.

rum & ſanctorum virorum adferre poſſet authoritates, vt Valtrami Nemburgenſis Epiſcopi, Venerij Vercellenſis Epiſcopi libro *De diſcordia Regni & Sacerdotij*: ſed ex omnibus vna ſufficiet Epiſtola Cleri Leodienſis ad Papam Paſchalem, vbi fit Gregorij VII. qui Hildebrandus dictus eſt, mẽtio verbis ſubſequentibus. *Solus Hildebrandus vltimam manum ſacris Canonibus impoſuit, quem legimus præcepiſſe Mathildi Marchioniſſæ in remiſſionem peccatorũ ſuorum, vt debellaret Henricum Imperatorem. Quod iuſtè necne ipſe, vel alij fecerint, nulla authoritate diſcimus.* Quod ad IV. ex prætento Concilij Lateranenſis decreto, ſub Innocentio III. in collectionem Decretorum à Gregorio IX. factam relato, *in cap. 2. Excommunicamus, titu. de Hæreticis*, petitum. Huius quod obtenditur Decreti non adeò certa authoritas eſt, vt Sanctio Concilij dici mereatur. Nam etſi Decretum illud & alia nonnulla variis ſuſpenſa locis Antiquarum Collectionum Decretalium Pontificiarum reperiantur, quin etiam in Collectionibus Gregorij IX. anno 1230. Nihilominus in Antiquis Collectionibus, in Sanctionum à ſanctis Patribus, Primatibus, Archiepiſcopis, aut Epiſcopis conſtitutarum forma non habentur. Imò multi autores qui Innocentij III. tempore vixêre, nihil à Lateranenſi Concilio decretum fuiſſe ſcripſerunt. E multis, quod

Venerius Vercellenſis.

Cleri Leodienſis epiſtola ad Paſchalem Papam.

quod de illo Mattheus Paris in maiore historia de gestis anno 1215. & 1216. ait notandum. *Celebrata* (inquit) *est Romæ sancta & vniuersalis Synodus in Ecclesia sancti Saluatoris, quæ Constantiniana appellatur, mense Nouembri, præsidente Papa D. Innocentio III. pontificatus eius anno 18. In qua fuerunt Episcopi 412. His omnibus congregatis in suo loco, & iuxta morem Conciliorum Generalium singulis in suis ordinibus collocatis, facto priùs ab ipso Papa exhortationis sermone, recitata sunt in pleno Concilio capitula* lx. *quæ alijs placabilia, alijs videbantur onerosa.* Idem alibi *in minore Historia*, ait, *quòd Papa Cõcilium dissoluit, totúsq; Clerus abijt tristis.* Cuius rei multas adfert rationes quas hîc referre nõ opus est. Denique Platina de hoc Lateranẽsi Concilio loquens in vita Innocentij III. Papæ. *Venêre* (inquit) *multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamẽ quicquã apertè potuit, quòd Pisani & Genuenses maritimo, & Cisalpini terrestri bello inter se certarent. Eò itaque proficiscens Pontifex tollendæ discordiæ causa Perusij moritur.* Enimuerò factiosi quidam eo tempore cùm Raimundum Tolosanum comitem Albigensium sententiæ adhærere viderent, apud Philippum Augustum institêrunt, & Pontificem impulerunt vt Regi Simonem Mõtisfortis Comitem in Septimaniam mittẽdum esse ad bellum gerendum, & Raimundum

Matthæus Paris.

Platina.

è patrimonio deturbandum suaderet. Verùm nulla certa extat authoritas qua hoc ad obtenta Concilij decreta exequendum probetur gestum esse. *Rigordus* quidem inquit *in libro de Gestis* Philippi Augusti *Francorum Regis, quòd Papa procurante, & Rege concedente Simon ille Comes Montisfortis Tolosanus Comes factus fuit.* Sed voto Ducis huius Simonis Mōtisfortis successus non respondit. Testis idem Rigordus, *Quod ipse Simon* (inquit) *cùm Albigenses & Tolosani aduersus ipsum ciuitatem muniuissent, eam ille viriliter obsedit. sed in ipsa obsidione lapide percussus vitam finiuit.* Addit in fide Catholica vitam finiuisse, sed propterea neque bellum nec Albigenses turbæ cessauêre. Vt enim in causis eiusmodi spiritualibus nō secularibus armis Deus fauit, meliorem ad pullulantes sectas resecandas viam instititissent, si verbi Dei gladio non materiali fuissent vsi, vt & seculo nostro nonnulli tentauêre. Quò licèt prætentorum Concilij Lateranēsis decretorum aut rerum ab Innocentio III. gestarum allegatione impellerentur: germani tamen ac veri Franci, nouissimis Bloesensibus Comitiis anno 1589. eo pacto nequaquam moti sunt. Quippe qui diuini humaníque iuris erant periti, quíque leges Regnorum, Franciæ maximè, politicas, apprimè tenebāt, insignem rei in sanctiori Regis Philippi Augusti Consistorio,

Rigordus.

rio, anno 1216. Lugduni habito, gestæ historiam, vt à Matthæo VVestmonasteriẽsi laudatur, memoria repetiuerunt, qui hæc refert, *Rex*(inquit)*Iohannes qui resignauerat coronam Angliæ Innocentio III. Papæ, & ei fecerat homagium, & sic de liberrima regione ancillam anno Domini* 1313. (*& ideo Extorris appellatus est*) *audiens de aduentu Ludouici*(*filij Philippi Regis Francorum*)*in Angliam* (*anno* 1216.) *Cantuariam aduolauit: & interim applicuit Gualo Legatus missus à Domino Papa Innocentio III. ad tuitionem regis Iohannis, qui transitu facto per regem Francorum Philippum ex parte Domini Papæ omnibus modis dissuaserat, ne filium suum Ludouicum in succursum excommunicatorum* (*qui Iohannis regis erant aduersarij*) *transmitteret, ne Ecclesia Romana patrimonio suo priuaretur. Quod cùm intellexisset rex Philippus hoc de regno Angliæ dictum fuisse, ita mox respondit:* Regnum Angliæ patrimonium Petri vel Ecclesiæ Romanæ nunquam fuit, nec est, nec erit. Item Rex vel Princeps non potest dare regnum suum sine assensu Baronũ suorum qui regnum tenentur defendere. Et si Papa hunc errorem tueri allectus nouæ dominationis libidine contumaciter decreuerit, exemplum omnibus regnis dabit perniciosum. *Ad quod verbum omnes circumstantes Franciæ magnates quasi vno ore clamare cœperunt, quòd pro isto articulo starent vsque ad mortem, ne videlicet rex vel prin-*

Matthæus VVestmonasteriẽsis.

ceps per impetum propria voluntate posset regnum dare vel tributorium facere, vnde nobiles regni efficerentur serui. Acta sunt hæc apud Lugdunum die 15. *post Pascha.* Ita se generosi Francorum proceres nunquam satis laudati, gessêre: quorum postea nobis vsui fuit authoritas, etiã tum cùm eorum sequenda fuêre dogmata, & ab eodemmet qui iam verba facit, declaratio fuit in Curia Parlamenti Cæsaroduni Turonum sedente citanda: cũ videlicet Regis nostri felicissimæ memoriæ Hẽrici Magni, v. Ianuarij 1610. diplomata legerentur, quibus aduenienti à Pontifice misso Cardinali significabatur, fore vt honorificè admitteretur, modò in mandatis haberet, ad Regem, nihil aduersus eius ditionem suscipiendo aut ex Ecclesiæ Gallicanæ iure decerpendo accedere. Nec sat vnquam ingenua hæc veráque nostrorum Francorum vox, qui testes sunt eorum, quæ Innocentij III. tempore gesta fuêre, quo posterorum memoriæ consignetur, inculcari potest. Quod igitur tãquam in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. aut ab eodem constitutum allegatur, quóque velut specioso Religionis obtentu excitandorum ad arma & rebellionem in reges populorum occasione capta, quidam vsi sunt, in argumentum tribuendæ Pontifici potestatis, quam illi Bellarminus assignat *directè* aut *indirectè*, vt ait, *in ordine ad spiritualia,*

tualia, trahi minimè debet. Etenim si C. *Excõmunicamus, de Hæreticis Extra* à Cõcilij Patribus, ab Innocentio III. Papa approbati, conditum & constitutum esset, non iis derogaret modò quæ antea ipsemet Decretali *per Venerabilẽ, Qui filij sunt legitimi*, antè allegata & iuxta genuinum sensum exposita declarauerat: sed & iis quæ altera *titu. de Iudicijs* l.2.cap.13. *Nouit ille* &c. in collectione Decretalium à Gregorio IX. Pontifice facta, vbi textus dimidiatus est, qui integer extat in *Collectione Antonij Augustini, Collection.3.li.2.tit.1.cap.* 3. quo loco sic Innocentius, *Exaltationem* (inquit) *Regni Francorum sublimationem Apostolicæ Sedis reputantes.* Et postea, *Non enim* (inquit) *intendimus iudicare de feudo, cuius ad ipsum (nempe Regem, cuius antea meminerat) spectat iudicium.* Quod ad v. quo Bellarminus vti voluit è Concilio Lugdunensi depromto, quod sub Innocentio IV. contra Fridericum II. anno 1245. habitum fuit, inde nullum duci potest argumentum, quo noua Bellarmini, de Pontificis in reges potestate, axiomata, quocunque quæsito colore, stabiliantur. Verum id quidem, ab Innocentio IV. Põtifice fuisse excommunicatum Imperatorem Fridericum II. die D. Iacobo dicato feria tertia, die Concilij tertio, vt obseruauit *Abbas Stadiensis* (quod ob temporis iudiciique formam expendendum est) Nec

Innocentij IV. Papæ verba C. Nouit. extrà de Iudiciis in antiquis Decretalibus.

minùs obſeruatione dignũ eſt quod idem Abbas de ſententia Lugduni fulminata, [a] *Qua ſententia*(inquit)*per mundum volãte, quidam Principum cum multis aliis reclamabant dicentes, Ad Papam non pertinere Imperatorem cõſtituere vel deſtituere.* Huic argumento concinit quod Matthæus Paris de Rege noſtro D. Ludouico narrat, optimum illum videlicet multáque ſapientia prçditum Principem, omni ope niſum, vt Papam cum Imperatore conciliaret. *Quod* (inquit) *cùm Papa erecta ceruice refutaſſet, Rex Francorum iratus & indignatus eſt eo quòd humilitatem quam ſperauerat in ſeruo ſeruorum Dei non reperiſſet.* Quo pacto Princeps optimus, magni iuxta candoris atque iudicij, non ſibi hac ſeueritate ſatisfactum oſtendit, mala, quæ Religioni Chriſtianæ eſſet allatura diſcordia, præſentiens. Hinc ipſe & Fráciæ Barones minimè gratum id ſibi fuiſſe commonſtrarunt, cùm Pontifex ad Maieſtatem ſuam nuncium miſiſſet, quo in Friderici II. abrogati locum, electum à ſe Comitem Robertum regis fratrem in Imperio ſubſtituendum ſignificaret. Rex enim & proceres minimè hoc ipſius admiſêre conſilium. quod his ad Imperatorem verbis palam teſtatum fecerunt: *Nolit Deus vt vnquam aſcendat in cor noſtrum, vt aliquem Chriſtianum ſine manifeſta cauſa impugnemus: Nec nos pulſat ambitio. Credimus enim*

a Alberti Abbatis Stadienſis de ſententia ab Innocétio IV. aduerſus Imperatorem Fredericum II. in Concilio Lugdunenſi lata, verba.

Matthæus Paris de Chriſtianiſſimo rege D. Ludouico.

Dominum nostrum regem Galliæ, quem linea regij sanguinis prouexit ad regenda Francorum sceptra, excellentiorem esse aliquo Imperatore, quem sola electio prouehit voluntaria. Sufficit Domino Comiti Roberto fratrem esse tanti Regis. Quòd itaque hic Pōtifex Innocentius IV. aut eius decessores, aut successores, multò post Dominum nostrum Iesum Christum, & Apostolos, cùm eorum sequi vestigia debuissent, ipsorum doctrinæ aduersantes, scripserunt & constituerunt, Reges ipsos & bona temporalia decretis aggressi, quæ constitutionibus Euangelicis & Apostolicis, *Cæsari quod Cæsaris est reddere* iubentibus, contraria sunt, id nouum ius est, Regnorum & Rerumpublicarum à Deo cōstitutarum euersionem spectans: ideóque nullius roboris aut ponderis. Quid quòd si Patres, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi, in Concilio vel Oecumenico congregati, quępiam cum Papa aut cum Legatis, aut sine eisdē, Decreta cōdidissent, quibus *potestates quæ sunt, & quæ à Deo ordinatæ sunt*, vt ait D. Paulus, in iis quæ πολιτείαν temporalem & Magistratus authoritatem in exterioribus Ecclesiæ concernunt, vlla ratione minuerentur, aut restringerentur: *Eiusmodi Decreta* Reges & Principes ac supremos Dominos, eorúmque subditos, siue Clericos siue Laïcos, minimè obligarent. *Certum enim hoc statúmque semper, totóque Chri-*

ſtianitatis orbe apud omnes qui bene de veritate ſentiunt, Catholicum dogma eſt, Nihil vllum Concilium, Vniuerſale, Nationale, Generale aut Prouinciale in Temporalibus *directè* aut *indirectè* decernere poſſe. Ratio eſt, quòd Concilium ex Patribus, Archiepiſcopis, aut Epiſcopis conſtat, qui maximâ partem, Principum, aut Rerumpublicarum Temporalium ſubditi ſunt. *Eccleſia autem eſt in Republica, non Reſpublica in Eccleſia,* inquit Optatus Mileuitanus, eximius Africę Epiſcopus. Quare non licet Epiſcopis, qui non aliam quàm Eccleſiaſticorum perſonam ſuſtinent, quidpiam decernere, quod Dominorum Temporalium damno vertat. quorum conceſſione in ipſorum ditionibus congregantur, aut inde in alias, habendi Concilij gratiâ, proficiſcuntur. Ea modò quæ fidei, religionis & doctrinæ ſunt, licet eis decernere. Nec enim vel externam Eccleſiarum politeiav in legum & ordinationum prouincialium præiudicium attingere queũt, quibus in locis per regias conſtitutiones, vt in hoc regno, ſanciuntur: vnde hoc verè de Regibus (ſpeciatim de noſtro) prædicare poſſumus, æqua illos cum Imperatore Conſtantino authoritate potiri, qui vt refert temporis illius Eccleſiaſtica hiſtoria) ſeſe Epiſcopum exteriorum appellare ſolebat: cùm nulli Epiſcoporum poteſtati aut foro, ſuæ ditionis aut actionum ratione,

Optatus Mileuitanus.

ne, sed Deo soli subiiciatur: quod adeò verum est, vt è Principum & potissimorum Prælatorum ordine, Gregorius Turonensis Archiepiscopus, quinto historiæ Francorum hisce verbis referat, quæ de se & coepiscopis regi Chilperico dixerat, *Si quis de nobis, ô Rex, iustitiæ tramitem transcendere voluerit, à te corrigi potest. Si verò tu excesseris, quis te corripiet? Loquimur enim tibi: sed si volueris, audis: si autem nolueris, quis te cōdemnabit, nisi is qui se pronunciauit esse iustitiam?* (Ille nimirum Dominus noster IESVS CHRISTVS, qui apud Hieremiam Prophetam cap. 23. prædictus fuit DOMINVS IOSADACH, IVSTVS NOSTER, AVT IVSTIFICATIO NOSTRA. Et apud Zachariam 9. REX IVSTVS ET SERVATOR IPSE. Ac sanè non nisi Deo peccant reges: ideo Dauid Psalmo 50. (quē vocauit Irenæus Psalmū Exomologeseos) *Tibi soli peccaui*, inquit, Deum alloquens, cui rationē soli suorum peccatorum reddere tenentur Reges, humano foro haudquaquam obnoxij, quod plurimi in hunc locum notauerunt interpretes, videlicet è Græcis [a] D. Cyrillus, [b] Dydimus, [c] Nice-

Gregorius Turonēsis Archiepisco.

a D. Cyrillus laudatus libro qui inscribitur, *Aurea in 50 Dauidicos Psalmos catena, interprete Daniele Barbaro Electo Patriarcha Aquileiēsi, Venetiis apud Georgium de Caballas, anno 1569. paginis 531. & 532.* ita in hæc verba Psalmi 50. Tibi soli &c. *Impius est qui regi dicit,* Impiè agis. *Alicubi Scriptura dicit, Quoniā igitur nullus erat qui me cùm peccarē posset redarguere, & tu peccātes corrigis.*

b Dydimus eodem libro, Patriarcha Aquileiensi interprete, citatus, sic de Rege Dauide loquitur: *Quatenus rex non subijciebatur humanæ legi, inde nulli ex legum conditoribus peccauit, neque coram vllo ex illis hoc malum fecit. Quoniam verò ad regiam dignitatem illius accessit vt pius esse vellet, diuinæ legi subiectus fuit, & propterea soli Deo peccauit, & malum fecit coram eo, cùm ad Vriæ vxorem ingressus est.*

c Nicephorus eodem libro citatus Patriarcha Aquileiensi interprete, *Rex cùm ego sim, tibique soli subiectus, tibi soli peccaui: Alioquin Vriā iniuria affeci. Sed peccatum ipsum ad te transiit, quoniam leges tuas transgressus sum.*

phorus. E Latinis [a]Arnobius, [b]D. Ambrosius, [c]Antonius Agellius Episcopus Acernensis. Nec aliter, qui iudicium de regibus Pontifici tribuunt, hæc verba interpretari queunt. Studentes enim Pontifici, quam sibi Deus in Reges vindicat potestatē tribuere, diuino verbo adderēt, quod sanctis legibus prohibetur. Nec attendunt quod Gregorius XIII. Pontifex scitè Oratori Hispano dixit, spiritualem à temporali potestate secernens, *Si altera alterius limites transilit semetipsa perimit.* Ac sanè verissimum hoc in negotio Patrum Hebrȩorum effatum, *Quisquis addit, detrahit.* Quapropter libri noui, qui supra Regem in temporalibus Pontificem collocant, ferendi non sunt, atque nimis multi, licenter nimis in Principes & Respublicas stilum stringunt, quod non Principes modò lædere, sed & bonos subditos debet offendere, vt nuper Officiales regis Hispaniarum, in Cardinalis Baronij scripta de Monarchia Siciliæ, grauiter inuecti sunt, quo

a Arnobij verba ad hæc Psalmi 50. Tibi soli peccaui, *Omnis (inquit) qui sub iudicio viuit, cū deliquerit peccat Deo: peccat & legibus mūdi. Hic autem rex sub nullo alio nisi sub solo Deo agens, ipsum solum super potestatem suā metuens, Deo soli peccauit.*

b D. Ambrosius in eundē Psalmū ad hæc verba, Tibi soli, de rege Dauide loquens, *Rex vtique erat: nullis ipse legib. tenebatur, quia liberi sunt reges à vinculis delictorum. Neque enim vllis ad pœnam vocantur legibus, tuti Imperij potestate. Homini ergo non peccauit, cui non tenebatur obnoxius, sed quamuis tutus imperio, deuotione tamen ac fide erat Deo subditus, & legi eius subiectum se esse cognoscens, peccatum suum negare non poterat, sed quasi reus cum amaritudine fatebatur.*

c Antonius Agellius *ex congregatione clericorum regularium Episcopus Acernensis* in libro qui inscriptus est, *Cōmentarij in Psalmos & in diuini Officij Cantica, impressi Romæ ex Typographia Vaticana anno 1606. pag. 236. ad Psal. 50. Tibi soli peccaui. Quia cùm regia dignitate ac potestate cæteris præstē omnibus, & nulli factorum meorum rationem reddere debeam, tuo solius iudicio subiectus sum, téque solum iudicem habeo. Itaque si quid peccaui,* Tibi soli peccaui, *tuus reus sum, à te solo aut damnandus aut absoluendus.*

magnum sibi per totum terrarum orbem laudis argumentum parauerunt. Nos verò Regi nostro Christianissimo vitæ, famæ, ditionísque temporalis ratione, minus nõ debemus: imò si veritatis axiomata tueri, Ecclesiæ Gallicanæ libertatem conseruare semper sanctum, iustum & honestum est, atque animum amorémque Francorum erga suum Regem & Regnum decet, hoc certè potissimum *sub rege annis minore felicißimis Reginæ parentis auspicijs regnante, debemus.* Sic à Deo per os Apostolorum DD. Petri & Pauli iubemur, quorum alter D. Petrus nimirùm primâ epistolâ cap. 2. *Subiecti*(inquit)*estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi quasi præcellenti, siue Ducibus tanquam ab eo mißis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia sic est voluntas Dei, vt benefaciẽtes obmutescere faciatis, imprudentium hominum ignorantiam, quasi liberi, & non quasi velamen habentes, sed sicut serui Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate.* Alter D. Paulus scilicet eximiè Romanorum xiij. *Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit. Non est enim potestas nisi à* DEO. *Quæ autem sunt, à* DEO *ordinatæ sunt. Itaque qui resistit potestati,* DEI *ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. Nam Principes non sunt timori boni operis, sed mali. Vis autem non timere Po-*

1. D. Petr. epist. c. 2.

D. Paul. Rom. 13.

testatem, bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei *enim minister est tibi in bonum. Si autem malum feceris, time. Non enim sine causa gladium portat:* Dei *enim minister est vindex in iram ei qui malum agit. Ideóque necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed propter conscientiam. Ideò enim & tributa præstatis: Ministri.n.Dei sũt in hac ipsũ seruiẽtes.* Reddite ergo omnib. debita, *cui tributũ, tributũ, cui vectigal, vectigal, cui timorẽ, timorẽ, cui honorẽ, honorem.* Huc agimur ab ἡγεμονικῷ Spiritu, qui Dei Spiritus est: Et inquit Paulus, *Vbi Spiritus, ibi libertas.* qua ratione non lædetur Pontifex, nec id iniquo feret animo, quinimò ritè edocta S.S. Regiæ dignitatis sartæ tectæ conseruationem, in suum redundare bonum agnoscet: Regis præcipuè nostri Christianissimi, cuius ratione id semper studiosissimè assertum est, quod Philippus Pulcher Franciæ & Nauarræ Rex, audacibus Bonifacij VIII. vocibus respondens, (qui eum subditum suum ausus erat cùm in spiritualibus tum in temporalibus nũcupare) dixit: quódq; nobilis & generosus Petrus à Cuneriis Regis Philippi Valesij, qui Catholicus cognominat⁹ est, aduocatus scripsit, ac post eũ Iohannes Gallus, Regis Caroli VI. aduocat⁹, celeberrimo actu in Curia Parlamenti xx. Martij, anno 1392. asseruit. Videlicet, Nullum in temporalibus a Rege Franciæ in terra

D. Paulus 2. Corinth. c. 3. v. 7.

RA

RA SVPERIOREM RECOGNOSCI. REGII verò COGNITORES, quorum hodie pro muneris ratione, dicendi ſunt partes, cùm nouiſſimos Reges noſtros Henricum III. & Henricum IV. homines inhumaniſſimi, monſtra potiùs deteſtanda falſis impulſa dogmatibus:alterũ Auguſti menſe anno 1589. alterum Maio nouiſſimo(anni circiter viginti *ab illius ad huius effluxêre cædem*) nefario parricidio ſuſtulerunt. Cúmque ipſi fidem & deuotiſſimum obſequium tãtorum Regum memoriæ, & ſucceſſoris authoritati debeant,ſuo ſe defuturos officio crederent, niſi in *Axiomata & Propoſitiones quæ vitam, dignitatem, maieſtatémque Regis & Reginæ matris Regentis concernunt*, qualibet oborta cauſa acriter inueherentur. Et Curię huius auguſtiſſimę Senatores nullo pacto excuſandi,quin grauiter nõ hodie modò,ſed & olim,*vbi Rex maiorẽ ætatẽ attigerit*,culpãdi forẽt,ſi nulla iuſtæ querelæ habita ratione, adeo pernicioſa ſcripta, à cenſura immunia,dimitterentur. Cùm itaque verendum ſit ne ſilentium imputetur crimini, & Deus in nos Spiritum ſoporis effundat, cuius mentio Eſa. xxix. aut ne à Domino nobis dicatur, quod D. Ioannẽ Angelo ſeu Paſtori Epheſinę Eccleſię ſcribere iubet, Apocalypſeos cap.2. *Prima opera fac:ſin autem venio tibi, & mouebo candelabrum de loco ſuo*:Ne hæc eueniant, ſed vt iuſtitiæ Regiæ ſplendor Apocal.2.

luménque perpetuum hoc loco fulgeat: ante pro REGIÆ COGNITIONIS munere, peruigilaturos ſe, neque donec,aura fruẽtur,ſibi lucernam ſuam extingui paſſuros, quinimo ne falſa dogmata nouorum librorum,cùm Bellarmini tum aliorum, ad ſupremarũ Poteſtatum à Deo ordinatarũ euerſionem ſpectantium,in hoc regno pedem figant, omni ſe ope & ſtudio prohibituros,ſanctè proteſtati,Senatum rogant vt ea quoque quæ ſuæ,ſub regia poteſtate, ſunt authoritatis,conferat.Etenim hoc pacto omnes veri Catholici tam in Gallia, quàm in cæteris Chriſtianitatis partibus, in pura Domini noſtri Ieſu Chriſti, Apoſtolorum,Patrum, quin ipſorum Pontificum,doctrina confirmabuntur, ac eorum ſequentur exemplum.Deniq; quiuis agnita & approbata veritate duo hæc axiomata non inficiabitur. I. *Poteſtatem Pontificis locum prӕterquàm in ſpiritualibus, hoc in regno maximè, non latere, nec ad temporalia directè aut indirectè extendi.* II. *Regem ſolum, omnium ſubditorum, tam Laicorum quàm Eccleſiaſticorum, in ſuis ditionibus ſupremum eſſe Dominum.* Prius quod attinet: Quandoquidem Dominus noſter IESVS CHRISTVS tam ſuo quàm D.Petri nomine cenſum Cæſari debitum perſoluit: & à Pilato rogatus num eſſet Rex Iudæorum, reſpondit quod Euangelij D.Io-
D.Iohã.c.18 hannis cap. xviij. refertur, *Regnum meum*

non est de hoc mundo : si ex hoc mundo esset Regnum meum , Ministri mei vtique decertarent vt non traderer Iudæis. Nunc autem Regnum meum non est hinc. Papam, cùm IESV CHRISTI sit vicarius, alio gaudere titulo non posse certissimum est. *Non est enim seruus maior Domino suo*, vt idem Euãgelista à Domino prolatum cap. xiij. recitat, qui cùm miraculi à se patrati conscios, vt ipsum regẽ crearent cõuenire animaduerteret, vt eiusdem D. Iohannis cap. vj. scribitur, solus in montem secessit. *Et si ipse Dominus potestatẽ quoque nullam ne in suos quidem exercuit , quibus sordido ministerio functus est, si regem denique fieri conscius regni sui refugit , plenißimè dedit formam suis dirigendo omni fastidio & suggestu tam dignitatis quàm potestatis. Quis enim magis his vsus fuisset quàm Dei filius.* Nemo sanè, vt optimè Tertullianus aduersus mundi Idololatras , scribens. Hoc si, vt par est, teneatur, vbiuis locorũ quę vera & legitima sit Pontificia potestas ex ea, quam feret Senatus, iuxta veritatis normam , sententia, licebit agnoscere: Alterum quoque firmiter tenebitur *axioma , Omnem animam potestatibus sublimioribus subditam esse* , hoc est , vt ait D. Chrysostomus in cap. xiij. Epistol. ad Romanos, hæc verba exponens, *Omnis anima*, inquit, *siue Apostoli, siue Monachi, aut alterius cuiuspiam.* Quod itidem Gregorius I. Pontifex Epist. xxvj. lib. 2. sui

Tertullianus in libro de Idololatria.

Registri docuit. Nam cùm ad Imperatorem Mauritium Augustum de Imperatoria Constitutione scriberet, quæ hęc complectebatur, *Vt quisquis publicis administrationibus foret implicatus, ei ad Ecclesiasticum officium venire non liceret.* Vbi plurimum hanc Constitutionem commendauit, Imperatores *serenißimos Dominos*, & se indignum pietatis Imperatoriæ seruum vocans, vnum se ait mirari legi adiectum, *Vt ei in Monasterio conuerti non liceret, nec vlli qui in manu signatus esset.* Quod submissè bonus ille Pontifex commonefaciendi formula dixit, neque verbis eum redolentibus qui se Imperatoribus superiorem iactet, siue vt Pontifex est, siue vt Episcopus, aut *vt seruus Reipublicæ*, *sed iure priuato*, *quia* (inquit) *serenißime Domine, ex illo iam tempore* Dominus *meus fuisti, quando adhuc* Dominus *omnium non eras.* Et infrà, *Ego verò hæc* Dominis *meis loquens, quid sum nisi puluis & terra? Sed tamen quia contra auctorem omnium* DEVM *hanc intendere Constitutionem sentio*, Dominis *tacêre non possum: Ad hoc enim potestas* Dominorum *meorum pietati cœlitus data est super omnes homines, vt qui bona appetunt, adiuuentur*, &c. Dein ob oculos Imperatori ipsius nostrique DOMINVM IESVM CHRISTVM vt Regem regum loquentem introducit. *Ad hæc* (inquit) *ecce per me seruum vltimum suum & vestrum*

Gregor. I. Epist. 62.

respon-

respondebit CHRISTVS *dicens, Ego te de Notario Comitem excubitorum, de Comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare Imperatorem, nec solùm hoc, sed etiam Patrem Imperatorũ feci: Ego Sacerdotes meos tuæ manui commisi, & tu à meo seruitio milites tuos subtrahis? Responde ergo*, piissime Domine, *quid venienti & hæc dicenti responsurus es in Iudicio* Domino tuo? Et infrà, *Ego quidem iußioni subiectus, eandem legem per diuersas terrarũ partes transmitti feci: & quia lex ipsa Omnipotenti DEO minimè concordat, ecce per suggestionis meæ paginam* Serenissimis Dominis *nunciaui. Vtrobique ergo quæ debui exolui, qui &* Imperatori *obedientiam præbui, & pro DEO quod sensi minimè tacui.*

O præclaram sanctóque Pontifice dignam professionem! qui hoc pacto exemplum secutus & mandatum DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI executus est, qui edixit D. Matthæi 22. D. Marci 22. D. Lucæ 10. *Reddite Cæsari quæ sunt Cæsaris: & quæ sunt Dei, Deo.* Equidem Sancti Pō-tifices Imperatores & Reges spirituali cohortatione de salute cōmonefaciendi, ius & potestatem habuêre: verùm hęc potestas temporali superior non est. Inquit enim Dominus discipulis & Apostolis Matthæi 10. *Nolite poßidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in Zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, ne-*

que virgam in manibus. Quod optimè exposuit D. Hilarius in hæc verba dicens, D. Hilarius. *Neque virgam in manibus, id est potestatis externæ iure non indigi, habentes virgam de radice Iesse: Nam quæ alia fuerit, non erit Christi.* Virgam à D. Hilario descriptã nemo, qui veritatis amore ducatur, aliam esse dicet à spirituali & Apostolica quã alibi (in Psalmum 2.) esse verbum Euangelij dixit. *Radix* autem *Iesse* æquè spiritualis est vt ab Esaia Propheta cap. 11. & D. Paulo Roman. 15. discimus. Atque vt rectè Domini Nostri verba in hanc sententiam intelligantur, minimè iuxta carnem vt solebant misselli Ebionitæ, sed iuxta sensum Spiritus, veluti cum de duabus tunicis agitur, accipienda sunt. Ita magnus ille Hilarius ad hæc verba: *Non duas tunicas; quòd sufficiat nobis semel Christus indutus, ne per prauitatem intelligentiæ nostræ altera deinceps vel hæreseos vel legis veste induamur.* Idcirco à duabus tunicis cauendum est. Etenim si pro pura simplicitatis tunica aliam induamus, in errorem incidemus, & hæretici Iudæ Galilæi (de quo Actuum Apostolicorum cap. 5.) habitu amiciemur, qui inter cætera, hoc quoque tanquam probabile dogma proponebat; *Nullum, præter Deum, Domini appellatione insigniendum*, vt ita se debito Cæsari obsequio eximeret. *Et eos qui decumam Templo persoluerent, ad vectigal Imperatori pendendum*

dendum non teneri, quæ deteſtanda hęreſis, cùm, paulo ante I. Chriſti aduentũ, Iudæis horrorem incuſſerit, multo potius apud Chriſtianos execrabilis cenſeri debet. Denique, quæ ſpiritualem poteſtatem cum Temporali miſcet & confundit, praua eſt doctrina. Alius enim eſt *verbi gladius*, alius *Principum & poteſtatum Temporaliũ*. Quãobrem D. Ambroſius præfatione in D. Lucam Euangeliſtam; *Ad diuina* (inquit) *conuerſi acuamus ingenium, exerceamus affectum, vt gladium illum quem venditâ veſte emi Dominus iubet, paratum ſemper & lucidum tanquam in vagina mentis reconditum habere poßimus. Arma enim ſpiritualia & fortia Deo ad deſtruendas munitiones militibus Chriſti debent ſemper eſſe præſentia (ex doctrina Pauli Apoſtoli 2. ad Corinthios capit. 10.) ne cùm venerit Dux cœleſtis militiæ ſitu noſtrorum offenſus armorum à legionum nos ſuarum ſocietate ſecernat.* Quod Doctor idem in hæc D. Lucæ Euangeliſtæ verba, confirmat: *Nunc qui habet ſacculum &c. vendat tunicam ſuam, & emat ſibi gladium &c.* O DOMINE (inquit) *cur emere me iubes gladium, qui ferire me prohibes? Cur haberi præcipis, quem vetas promi? Niſi fortè vt ſit parata defenſio, non vltio neceſſaria, & videar potuiſſe vindicari, ſed noluiſſe? Lex tamen referire non vetat: & ideò fortaſſe Petro duos gladios offerenti,* SAT EST, *di-*

D. Ambroſius.

cis, quasi licuerit vsque ad Euangelium, vt sit in LEGE *æquitatis eruditio, in* EVANGELIO *bonitatis perfectio. Multis hoc iniquum videtur: sed non iniquus* DOMINVS, *qui cùm se posset vlcisci, maluit immolari. Est enim gladius spiritualis, vt vendas patrimonium, emas* VERBVM, *quo nuda mentis penetralia vestiuntur.* Est etiam gladius passionis, *vt exuas corpus, & immolatæ carnis exuuijs ematur tibi sacri corona martyrij: quod ex benedictionibus* DOMINICIS *colligere potes, qui summam omnium coronarum, si quis persecutionem patiatur pro iustitia, prædicauit. Denique vt scias quia de paßione loquutus est ne turbaret discipulorum animos, de se exemplum protulit dicens:* QVONIAM HOC QVOD SCRIPTVM EST, OPORTET IMPLERI DE ME, QVÒD ET CVM INIVSTIS DEPVTATVS EST. Vnde patet verba Domini, cùm gladiũ iubet emere, parabolæ ritu, non ad literam, interpretanda esse. Hanc puram verámque doctrinam hauserat D. Ambrosius è Domini nostri documentis, præceptis Apostolicis, & Doctorum Orientalium scriptis. Præ cæteris ex Athanasij libro cui titulus, *Dicta & Interpretationes Parabolarum Sancti Euangelij*, vbi sequentia quęstione 33. *Quomodo hoc intelligendum*, qui tunicam habet vendat ipsam, & emat sibi gladium? *Hoc dixit Dominus*, (inquit D. Athanasius) *sui proditio-*

D. Athanasius libro cuius inscriptio ῥήσεις καὶ ἑρμηνεῖαι παραβολῶν τοῦ ἁγίου εὐαγγελίου. Ἐρώτησις λγ. Πῶς νοητέον ὅτι ὁ ἔχων ἱμάτιον πωλησάτω αὐτὸ, καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν.

proditionem & Iudæorum aduentum indicare volens quem neque planè reticuit, ne repentino turbarentur aduentu, neque plenè patefecit, nequâ formidine occuparentur. Quæ expositio notatu digna est, vt & illa D. Basilij, à quo plurima D. Ambrosius didicerat, & cuius multa de Græco in Latinum sermonem scripta reddidit: Doctus hic Orientalis Ecclesiæ Magister, quem ea tanquam sæculi sui lumen obseruauit, & omnes Ecclesiæ Christianæ, vt reuera Basilij nomine dignum inter pios & eruditos Christianos deinceps miratæ sunt, Regula 251. ἀσκητικῶν ad interrogationem hisce verbis factam. *Quomodo vetat Dominus* (Lucæ 10.) *Sacculum & peram in via ferre*; *aliàs verò* (XXII. eiusdem Euangelistæ) *qui habet*, inquit, *sacculum tollat, similiter & peram: & qui non habet vendat tunicam suam & emat gladium? Respondet: hoc ipse Dominus dilucidat; quum ait, quoniam adhuc hoc quod scriptum est oportet impleri in me. Et cum iniquis deputatus sum.* Continuò enim postquam, *Prophetia de gladio impleta est.* Petro dicit, *Conuerte gladium tuum in locum suum, omnes enim qui acceperint gladium gladio peribunt*; ita vt præcipientis non sint hæc, *sed nunc qui habet sacculum tollat, vel tollet* (ita enim multa habent exemplaria.) *Sed prædicentis Domini fore vt Apostoli donis & lege Domini*

Ἀπόκρισις. Τοῦτ' εἶπεν γνωρίσαι θέλων ὁ Κύριος τοῖς Ἀποστόλοις τὴν προδοσίαν αὐτοῦ, καὶ τὴν ἔφοδον τῶν Ἰουδαίων· οὔτε οὖν τελείως παρεσιώπησεν ἵνα μὴ τῇ ἀθρόᾳ ἐφόδῳ ταραχθῶσιν, οὔτε πάλιν τελείως ἐγνώρισεν, ἵνα μὴ δειλίᾳ τινὶ κατεχεθῶσιν.

Ἐρώτησις σνα.

Πῶς ποτὲ μὲν ἀπαγορεύει ὁ κύριος βαστάζειν βαλάντιον καὶ πήραν εἰς ὁδόν. Ποτὲ δὲ λέγει, ἀλλὰ νῦν ὁ ἔχων βαλάντιον ἀράτω ὁμοίως καὶ πήραν, καὶ ὁ μὴ ἔχων πωλησάτω τὸ ἱμάτιον αὐτοῦ, καὶ ἀγορασάτω μάχαιραν.

oblivioni traditis, gladium auderent vsurpare; Quod verò imperatiuo loquendi modo Prophetici loco sæpius vtatur scriptura, notum est, cuiusmodi illud, fiant filij eius orphani, & diabolus stet à dextris eius, & quæcunque talia. Ad præstantis huius sanęque interpretationis sensum quadrat quod Iohannes Chrysostomus Constantinopolitanus Archiepiscopus, cùm Imperatores essent Christiani, scripsit in Homilia ad verba D. Pauli cap. 16. epist. ad Romanos, *Salutate Priscam & Aquilam*, vbi explicat verba Domini; *Qui habet marsupium tollat & peram, & qui non habet, vendat vestem suam, & emat gladium, ita dicit, Quidnam hoc? Armátne Discipulos qui dicit, Si quis te percusserit in dexteram maxillam, obuerte ei & alteram: Qui præcepit vt benedicamus his qui nos conuitiis lacessunt, Feramus inuadentes, Oremus pro persequentibus, nũc armat? armátque vno tantùm gladio? Et quomodo hæc rationi consona sunt? Nam si omninò armis opus erat, non solo gladio, sed & scuto, galea & cruralibus armare oportebat. Et profectò si humano more & dispensare, & agere voluisset, ridiculum erat hoc præceptum. Quandoquidem licet sexaginta id*

Ἀπόκρισις. Τοῦτο σαφηνίζει ὁ αὐτὸς Κύριος. εἰπὼν, ὅτι δεῖ γὰρ ἔτι τοῦτο τελεσθῆναι ἐν ἐμοί. τὸ, καὶ μετὰ ἀνόμων ἐλογίσθη, αὐτίκα γὰρ μετὰ τὸ πληρωθῆναι τὴν περὶ τῆς μαχαίρας προφητείαν λέγει τῷ Πέτρῳ, ἀπόστρεψον τὴν μάχαιράν σου εἰς τὴν θήκην αὐτῆς. πάντες γὰρ οἱ λαβόντες μάχαιραν, ἐν μαχαίρᾳ ἀπολοῦνται. ὡς μὴ εἶναι πρόσταγμα, ἀλλὰ νῦν ὁ ἔχων βαλάντιον ἀράτω ἤτοι ἀρεῖ. (οὕτω γὰρ καὶ τὰ πολλὰ τῶν ἀντιγράφων ἔχει.) ἀλλὰ προφητείαν προλέγοντος τοῦ Κυρίου ὅτι ἔμελλον οἱ Ἀπόστολοι ἐπιλανθανόμενοι τῶν δωρεῶν καὶ τοῦ νόμου τοῦ Κυρίου καὶ ξίφους κατατολμᾶν, καὶ ὅτι τῷ προστακτικῷ εἴδει τοῦ λόγου ἀντὶ προφητικοῦ πολλάκις κέχρηται ἡ γραφὴ πολλαχόθεν δῆλον, οἷον ἐστὶ τὸ γενηθήτωσαν οἱ υἱοὶ αὐτοῦ ὀρφανοὶ, καὶ διάβολος στήτω ἐκ δεξιῶν αὐτοῦ καὶ ὅσα τοιαῦτα. Ioannes Chrysostomus.

genus

genus arma possedissent, aduersus insidias & impetus populorum, tyrannorum, ciuitatum, gentiũm, quomodo potentiores habiti fuissent vndecim? Non potuissent præ timore spectare faciem exercituum, & audire vocem hinnientium equorum viri non nisi in stagnis & fluminibus & lembis versati. Quare ergo hoc dicit? Iudæorum insidias indicare volebat, ídque manifestè, & non per ænigmata, ne secum iterum confunderentur. Dein adiicit: *Non igitur sentimus quod talibus verbis iusserit haberi gladios, sed quòd per gladios insinuarit imminere insidias, & passurum se à Iudæis quæ & passus est. Atque hoc ex sequentibus manifestum est. Nam vt dixit emendum gladium, mox adiecit,* Quia oportet adimpleri ea quæ de me sunt scripta: Quòd cum iniquis reputatus sum. (*Esaiæ* 53.) *Discipulis autẽ dicentibus,* Hîc sunt duo gladij, *& non intelligentibus dictum, ait,* Satis est: *Tametsi non suffecissent vel duo, vel tres, vel centum, si humano auxilio eos vti voluisset. Quòd si noluit eos humano præsidio vti, sunt vtique & hi duo superflui. Proinde hîc doctrinam suam non exposuit, id quod vbique facere videtur, vt quoties dicta minus intelligunt Discipuli, euẽtui rerum dictarum intelligentiam explanãdam relinquens prætereat.* Attendite hanc expositionẽ, & cum ea quam Bonifacius VIII. multis pòst annis, Extrauag. *Vnam sanctam*, tit. *de maiestate & obedientia*, tradidit, conferte, vbi

Bonifacij VIII. verba Extrauag. vnam sanctam.

verba D. Lucæ xxij. citans *ex dictis Apostolorum, Ecce duo gladij hîc, In Ecclesia scilicet* (inquit) *cùm Apostoli loquerentur, non respondit Dominus* nimis esse, sed satis: *Certè* (inquiens ille Bonifacius) *qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, malè verbum attendit Domini proferentis*: Conuerte gladium tuum in vaginam. *Vterque ergo est in potestate Ecclesiæ, spiritualis scilicet & materialis.* Hanc Bonifacij VIII. glossam ab interpretatione D.D.D. Athanasij, Basilij, Ambrosij, & D. Chrysostomi alienam esse comperietis. Imò mēti quam Dominus enunciauit, è diametro repugnat: deniq; literæ, carnis & sanguinis est, non spiritus: ideo à Clemente V. Extrauag. *Meruit*, reuocata est: vbi declarat quod per definitionem Bonifacij Papæ VIII. prędecessoris sui extrauag. *Vnam sanctam*, comprehensam, *nullum regi & regno Franciæ vellet vel intenderet præiudicium generari. Nec quod per illam Rex, Regnum & Regnicolæ prælibatæ ampliùs Ecclesiæ forent subiecti Romanæ quàm antea existebant. Sed intelligerentur in eodem esse statu, quo erant ante definitionem præfatam: tam quantum ad Ecclesiā, quàm etiā ad Regem, Regnū, & Regnicolas superiùs nominatos.* In quos S. Pōtifex Clemēs V. quā debuit de regno & tēporali dignitate Philippi Pulchri declarationē edidit. Quod & alia Bulla Pictauij 2. Idus August. data 3. Pōtificat⁹ anno profes-

sus est,

Clemētis V. Extrau. Meruit. titu. de Priuilegiis, *verba: Meruit charissimi filij nostri Philippi Regis Francorū illustris sinceræ affectionis ad nos & Ecclesiam Romanam integritas, & progenitorū suorum præclara merita meruerunt. Meruit insuper Regnicolarum puritas, ac deuotionis synceritas, vt tā regem quàm regnum beneuolo fauore prosequamur. Hinc est quod nos regi & regno per definitionem & declarationem bonæ memoriæ Bonifacij Papæ octaui prædecessoris nostri, quæ incipit, Vnā sanctā, nullū volumus vel intendimus præiudicium &c.*

ſus eſt, qua Archiepiſcopũ Narbonenſem, Baiocẽſem, Mimatẽſem & Lemouicẽſem Epiſcopos cum Notario ſuo, Tridẽtinum & Magalonenſem Archidiaconos, & præfectum Aquenſem delegauerat ad iudicium de Templariis conſtituendum, circa multa, inſtitutæ rumore publico aduerſus eos querelæ, capita: vbi clauſula hæc notanda adiicitur, *Chariſsimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum illuſtris, cui fuerant eadem facinora nunciata, non typo auaritiæ, cùm de bonis Templariorum nihil ſibi vindicare vel appropriare intendat, imò ea nobis & Eccleſiæ per deputandos à nobis adminiſtranda, gubernanda, conſeruanda, & cuſtodienda liberaliter ac deuotè in regno ſuo dimiſit, manum ſuam exinde totaliter amouendo.* Hinc ſequitur nihil in Templariorum, qui in ditione Regis Chriſtianiſſimi degebãt, perſonas & bona quicquam antè auſurum fuiſſe Pontificẽ, quàm amota manu, ipſe Dominus Rex quæſtionem exercendi & iudicium conſtituendi, poteſtatem feciſſet, prout in Bulla continetur. Qua in cauſa quod Rex Illuſtriſſimus præſtitit, nihil de regia in ſubditos, qui ſunt eiuſdem cum Templariis qualitatis aut cõditionis, vel alterius, autoritate, detrahit, imò hac dimiſſione Regi ſupremum ius, vt immotum eſt, ita incõcuſſum aſſertum & ſeruatum eſt. Quod adeò certum eſt, vt omnes ſani ſic ſenſerint, præ aliis bonæ

notæ Author quidam in libro inſcripto
Somnium Viridarij. *Somnium Viridarij*, Regem Carolum V. Sapientis inſignitũ cognomine alloquens, inquit, *Quòd Rex eſt Dei Vicarius & Iudex in Tẽporalibus.* Ac re vera ſupremum illud ius, eiuſmodi eſt vt ad omnes Regnicolas extendatur: ita vt eorum nullus debitæ Regi Chriſtianiſſimo obedientiæ exemptum ſe dicere queat. Quod boni Patres, Prælati ſancti, & Doctores Catholici & Orthodoxi agnouerunt: è multis ad cõmonefactionis huius clauſulam magni & docti Abbatis D. Bernardi commonefactionem proferre ſufficiet, qui Henrico Archiepiſcopo Senonẽſi ſcribẽs epiſt. 42.
D. Bernardus epiſt. 42 his verbis concludit: *Si omnis anima poteſtatibus ſuperiorib. ſubiecta ſit* (quod docuit Apoſtolus in Epiſt. ad Romanos) *Ergo* (inquit Bernardus) *& noſtra. Quis vos excipit ab uniuerſitate? Si quis tentat excipere, tentat decipere.* Quò itaque ad germanorum Francorum tutelam, deceptioni præcaueatur, qui verba facit cũ ſeſe propter conſcientiam & incumbẽs *Aduocati Regij* munus deuinctum ſentiat, vt ingenuè ſui muneris partes expleat, in medium profert *Cardinalis Bellarmini librum*, viuente Henrico Magno Rege noſtro perſcriptum, (quo regnante eum nemo publicare auſus eſſet) vbi è viuis exceſſit, editum, in quo locos adnotauit, quos videbit Senatus præcipuè paginis 37. 38. 57.

58. & 76.77. quibus accedit quod 160.115. 116. Simúlque postulationes *scripto exaratas* profert, quibus Regis nomine REGII TRIVMVIRI postulant EDICTO VETARI, *Ne vlli, cuiuscunque sit qualitatis aut conditionis, accipere, habere, retinere, excudere, aut excudendum dare hunc Bellarmini librum liceat, pœna læsæ in primum caput Maiestatis in delinquentes constituta: omnibus iniungi qui habent aut habituri sunt, sciunt aut scire possunt, quo regni loco extet, vt regijs iudicibus aut subcognitoribus Regijs significent, vt eius exemplaria supprimantur, cùm doctrinam dignitati, authoritati, & supremo regum iuri contrariam complectatur, qua subditi ad rebellionem in Regem, ad machinationes in caput eius ditionémque struendas concitantur: eadem constituta pœna prohiberi ne quis eandem doctrinam in scholis aut alibi scribat vel doceat: Arrestum quod ex hisce postulationibus condetur, in præfecturis omnibus Iudicum Regiorum, quorum sententiæ iudicium in Curiam resortiuntur, legi ac promulgari subcognitoribus instantibus, qui sedulitatis adhibitæ Curiam certiorem facere teneantur. Atque ne olim postulationes aut arrestum inde profectum calumniari quis poßit, ad testimonium veritati, quoties opus erit, exhibendum, sibi librum in custodiam tradi postulant.*

Causa ad disquisitionem vocata, Camera Magna Criminali & Edicti conuocatis.

Curia vetuit vetatque, ne quisquam, cuiuspiam sit qualitatis aut conditionis, pœna læsæ maiestatis in delinquentem constituta, accipiat, retineat, communicet, excudat, excudendum tradat, aut venundet dictum librum, qui falsam & execrabilem propositionem continet, quæ ad euersionem potestatum supremarum à Deo constitutarum & ordinatarum pertinet, subditos acuens ad rebellionem, & Principum imperio subtrahens, ad machinandum in eorum capita ditionésque, ad turbandam denique tranquillitatem & quietem publicam incitans.

Iubentur ij penes quos erunt dicti libri exemplaria, aut qui habentes norint, confestim suis iudicibus profiteri, vt postulantibus subcognitoribus Regiis in crimen anquiratur, & in sontes, vt par est, animaduertatur. Eadem pœna constituta, Doctores, Professores, aliósque dictam propositionem tractare, disputare, scribere, docere directè aut indirectè, in scholis, collegiis, aliísque locis prohibet. Decernit dicta Curia hoc Arrestum in præfecturas Iudicum regiorum, quorum sententiæ iudicium huius Curiæ resortiuntur, mitti, legi, promulgari, in acta referri, & iuxta præscriptum modum formámque

que obſeruari. Iubentur Subcognitores Regij ſedulò executionem arreſti procurare, & Curiam intra menſem ſedulitatis ſuæ certiorem facere. Actum in Parlamento die Ven.26.Nouembris CIↃ IↃCX.

Signatum VOISIN.

Arreſto prolato, REGIIS COGNITORIBVS accerſitis Curiæ placitum ſignificatum eſt, & ex S.C.to dictus Cardinalis Bellarmini liber in manus ipſorum traditus eſt

pag.24.l.22.leg.*inſperſa*.p.26.l.vlt.*ſanctiore* p.37.l.10.*ſuſtulerint*. p.38.l.23.*habere*.

EDICTVM PHILIPPI HISPANIARVM REGIS Contra Tractatum de Monarchia Siciliæ, à Cæsare Baronio vndecimo Annalium Ecclesiasticorum tomo insertum.

PHILIPPVS &c.

Locum tenens in Regno Siciliæ, Illustribus, Spectabilibus, Magnificis & Nobilibus Regni eiusdem, Magistro Iudiciario, Præsidibus Regiorum Tribunalium, Iudicibus Maiestatis Regiæ Catholicæ, Magistris Rationalibus, Thesaurario & Conseruatori Regij patrimonij: Aduocatis quoque, & Procuratoribus fiscalibus, cæterísque demum dicti regni Officialibus maioribus, & minoribus, præsentibus & futuris, cui vel quibus ipsorum præsentes præsentatæ fuerint, Consiliariis & fidelibus Regiis dilectis, Salutem.

Sacra Catholica Regia Maiestas Regis Domini Nostri, diplomatibus suis quod sequitur decernit.

DOM. Philippus Dei gratia Rex Castiliæ, Legionis, Aragoniæ, vtriusque Siciliæ, Hierusalem, Lusitaniæ, * Nauarræ, Granatæ, Toledi, Valentiæ, Galleciæ, Maioricæ,

* Quem sibi Regis Nauarræ titulum Hispaniarũ Rex arrogat, ne quis immutatum quicquam quereretur delere noluimus; adde quod cùm hæc ipsius verba sint, vt iusto legitimóque Regis Christianissimi iuri nõ prçiudicat, ita nec tyrannicam illius commẽdat vsurpationem.

Hiſpalis, Sardiniæ, Cordubæ, Corſicæ, Murciæ, Iaen, Algarbiorum, Algeziræ, Gadium, Inſularum Canariarum, Orientalis & Occidentalis Indiæ, Inſularum, & continentis Oceani. Archidux, Auſtriæ, Dux Burgundiæ, Brabantij, Mediolani, Athenarum, Neopatriæ. Comes Habſpurgi, Flandriæ, Tirolis, Barcinonis, Ruſſinonis, Cerdaniæ. Marchio Oriſtani, & Goceani. Cantabriæ, & Molinæ Dominus.

Quoniam nobis innotuit, & conſultationibus noſtrorum conſiliorum, & prudentum virorum relationibus, qui obſequij, exiſtimationis noſtræ, & quietis cliẽtum noſtrorum, ſpeciatim fideliſſimi Regni noſtri Siciliæ Indigenarum æmuli ſunt, ad nos perlatum eſt, Cæſarem Baronium olim S.R.E. Cardinalem, in vndecimo Annalium ſuorum Eccleſiaſticorum tomo (quos ſcriptos & editos reliquit) in vita Vrbani Pontificis II. anno CIↃ. XC. VII. longa & prolixa diſſertatione, verbis & rationibus minùs æquis & modeſtis, ac ipſius poſtularet profeſſio, cùm accuſantis & inuehentis, potiùs quàm hiſtoriam referentis perſonam induat, aggreſſum, non modò in ſuſpicionem adducere, ſed etiam falſos & iniuſtos, ac violentos titulos & origines euincere, quarum ope deceſſores noſtri Sereniſſimi Reges Siciliæ, ſimul cum dominio regales & prærogatiuas acquiſiuerunt, quas huc vſque pacificè tu-

tati

tati sunt, & conseruarunt, & quæ ad nostra vsque tempora sine interruptione legitima deriuatæ sunt. Quia verò non debemus nec possumus sinere, vt lectione relationis adeò temerariæ, cuiusmodi est hæc Cardinalis, commoueantur, turbentur, & in nos subditorum insurgant animi, & regum illorum ac nostra existimatio & consciẽtia vlla vnquã labe adspergi queat, cùm certum sit, vt ex ipsius exclamationibus & exaggerationibus colligere est, priuato abreptum fuisse affectu, exigua cognitione præditum & ex veritatis historiæ ignorantia, minimè condonanda scripsisse, cùm id palàm notum sit illos decessores nostros, iura illa, Maiestatis, sceptri, & huius Regiæ Coronæ ceu attributa propria, & prerogatiuas antehac acquisiuisse & obtinuisse, vt deinde retinuerunt & conseruarunt, cum benedictionis, cõcessionis, permissus taciti & expressi summorum pontificum, quantum foret opus, accessione, qui hæc, ratione iustæ gratitudinis deuincti, in aliquam magnorum & eximiorum beneficiorum remunerationem contulêre, quibus Catholici Reges de Dei Ecclesia & Sancta sede benè meriti sunt, quòd Regnum hoc, in ipsius sinum, & eius obedientiam reuocarint & coegerint: posteaquam multos iam annos, arcano Dei permissu, in dedecus & ignominiam, non sine discrimine & terrore alio-

rum Regnorum, ac orbis Christiani prouinciarum præcipuè verò Italiæ: quinimò ipsius Vrbis, in qua est thronus S. sedis Apostolicæ, Matris & capitis Ecclesiæ Catholicæ; potestati Saracenorum subiectum, & Mahumetanorũ iugo mãcipatum fuisset: quódque in adeò præclara victoria sanguinem suum profuderint, atque etiam ingentes opes & Regium Patrimonium consumpserint, instaurandis & dotandis Ecclesiis, & Monasteriis, quæ cùm olim Templa fuissẽt, in quibus cultu diuino verum Domini Nostri nomen celebrabatur, vbi confessio & professio Catholicæ religionis fiebat, illa infideles in perfidi Mahometis Meschitas, & equilia versa & mutata, sacrilegio detestabili contaminauerant. Quæ gesta cùm adeò grata Sanctis Romanis Pontificibus fuerint, nec non aliis, quæ non minoris æstimanda sunt, cumulata sint, quibus successores primorum illorum regum & nostri progenitores, ac nosmet ipsi, sedis Apostolicæ autoritatem, maiestatémque tutantes, personas & facultates nostras, quibuscũq; hostibus, quib. eã minuere, aut euertere fuit animus obiiciẽdo, benè mereri de illa sede perreximus, ita vt Dei beneficio floruerit, & etiãnum puriùs & catholicè magis in Siciliæ regno quã in cęteris orbis Christiani partibus vigeat. Inde colligere licebit, nõ iniustà aut vitiosa, sed contrà iustissima & illustrissi-

ſtriſſima principia fuiſſe, quę titulum poſſeſſioni vindicarunt, qua per tot ſęcula ſuprà dicti reges, ex harum regalium & prerogatiuarum iure, potiti ſunt, & qua cum noſtræ conſcientiæ, famæ Chriſtianæ, & ad S. ſedem Apoſtolicam obſeruantiæ fiducia, frui potuimus & potiri perpetuò poſſumus. Quocirca opportuno præcauere volentes remedio, quo periculum id arceatur, quod tandem nobis tolerãtibus aut diſſimulantibus libri illius conceſſa lectio & relatio pareret: ac officio ſatisfacere cupientes, quo iura legitima & iuſta, in quæ ſimul cum Regnis, & ditionibus quas Domino noſtro nobis viſum eſt committere, ſucceſſimus, tueri tenemur: anſam, qua per has ipſo etiam maleuolorum & noſtræ felicitatis æmulorũ iudicio, calumnias Maieſtati & coronæ noſtræ nota inuratur, manifeſto cum ſcandalo quod & in noſtro Sicilię regno, vel aliis accidere poſſet, præbere nolentes: causâ communicatâ, & in conſiſtoriis noſtris in deliberationem vocatâ, decernere, mandare, & iubere hoc Edicto & Pragmatica Sanctione conſtituimus. Ne cui cuiuſcunque ſit ille dignitatis, ſortis, & conditionis, quouis inſignitæ priuilegio, dictũ vndecimum tomum, adſcripto autoris, vel alterius cuiuſpiam nomine, excuſum vel manu ſcriptũ, quocunque extet idiomate, cum diſſertatione illa aduerſus dictam Monarchiam, quæ à

verſu incipit, *Hîc autor aggreditur*, & deſinit (*Iam verò canentes receptui, quæ poſt Vrbani Papæ datum Diploma Salerni, ſunt ſecuta, narremus*) ſine examinis & caſtigationis à delegatis factæ teſtimonio, exponere, habere, vendere, & in Regnis noſtris & ditionibus emptitare liceat. Mulctâ primò delinquenti quingentorum aureorum in regno & ditione in qua id accidet vſitatorum, irrogatâ: qui Regio noſtro fiſco, Iudici & delatori ad trientem addicantur. Iterum delinquenti eadem mulcta pecuniaria irrogabitur, & quinquennale à Regno exilium, quo nõ ſeruato duplum nobilis pendet, ignobilis, ad remigia damnatus addicetur: quod ad eos etiam pertinet, qui nunc eum librum habent: niſi delegatis ad hanc caſtigationem intra decimum quintum ab huius Edicti promulgatione diem reuelarint & tradiderint. Quod vt ſigillatim debita cum obſeruantia executioni demandetur, Diplomata & mandata noſtra ad omnes Senatus & Conſiſtoria prope nos reſidentia perferri iubemus, vt cæteris in regnis ac ditionibus obſeruentur, & effectum ſortiantur. Præterea iubemus Proregibus, Præfectis, Legatis, Strategis, Conſiſtoriis, Senatibus, Cancellariis, Audientiis, Tribunalibus, Iudicibus, Iudiciis, eorúmque officialibus maioribus & minoribus, præſentibus & futuris, & ipſorum ſingulis, vt in

prouin-

prouincia & iurisdictione sua, inuiolatè quod Regio nostro Edicto præscribitur executioni demandari curent. Datum S.Laurent. 3. Octobris, CIↃ IↃCX.

EGO REX.

R. vidit Lanz. R. vidit Quintana Duegna. R. vidit Caymus. R. vidit Marcus Antonius de Ponte. R. Dominus Rex mandauit mihi Laurẽtio de Aguirre, Panhormi die 16. *Decembris ix. indictione* 1610. *præsentata Illustrißimo Domino Locum tenenti Generali. Et mandat quod Spectabilis Regius Consiliarius Conseruator Regij Patrimonij recognoscat & referat. Vincentius Lanfruccus M.N. eòdem facta recognitione & relatione prædicta, sua illustrißima Dominatio mãdauit quòd fiant executoriæ. Io. de Vegha Conseruator* Quare S.M. pręscriptum executioni mandantes, & impositis mandatis obsequentes: Iniungimus, vt præ inserta diplomata, & Edictum iuxta eius seriem & normam, executioni, per eos quorum exequendi & obseruandi sunt partes, demandari curetis, si regiæ gratiæ vlla est æstimatio, contra ire cauentes. Datum Panormi die 17. Septembris, IX. Indictione CIↃ IↃCX.

CARDINALIS IANNETINVS DORIA.

Dominus Locumtènens Generalis mandauit mihi VINCENTIO LANFRVCCO *M. N. visa per Io. de Vegha Conseruatorem.*

Io. de Vegha C.

Imprimatur de RAO.P.

EDICTO DEL REY DON PHE-LIPPE D'ESPAÑA

CONTRA EL TRACTA-DO DELLA MONARCHIA de Sicilia enxerido por Ceſar Baronio Cardenal en el tomo vndecimo de ſus Annales Ec-cleſiaſticos.

CIↃ IↃC XI.

EDICTO DEL REY DON PHELIPPE D'ESPAÑA CONTRA EL TRActado della Monarchia de Sicilia, enxerido por Cesar Baronio Cardenal en el tomo vndecimo de sus Annales Ecclesiasticos.

PHILIPPVS &c.

LOCVM TENENS in Regno Siciliæ, illustribus, Spectabilibus, Magnificis & Nobilibus Regni eiusdem, Magistro Iusticiario, Præsidibus Regiorum Tribunalium, Iudicibus Maiestatis Regiæ Catholicæ, Magistris Rationalibus, Thesaurario & Cõseruatori Regij patrimonij: Aduocatis quoque, & Procuratoribus fiscalibus, cæterís-

que demum dicti regni Officialibus maioribus & minoribus, præsentibus & futuris, cui vel quibus ipsorum præsentes presentatæ fuerint, Consiliariis & fidelibus Regiis dilectis, Salutē,

La sacra Catholica Reál Magestà del Rè nostro Señore per sue regie littere ordina il sequente.

DON Phelippe por la gracia de Dios Rey de Castilla, de Leon, de Aragon, de las dos Sicilias, de Ierusalem, de Portugal, de Nauarra, de Grenada, de Toledo, de Valencia, de Galicia, de Mallorca, de Seuilla, Cerdena, Cordoua, Corçega, Murçia, Iaen, de los Algarues, de Algezira,, Gibraltar, Islas de Canaria, Indias

Indias Orientales, y Occidentales, Islas, y tierra firme del Mar Oceano, Archiduque de Austria, Duque de Borgoña de Brabante, Milan, Atenas, y Neopatria, Conde de Hasburg, Flandes, Tirol, Barcelona Roßillon, y Cerdania, Marques de Oristan, y Goçiano, Señor de Viscaya, y de Molina.

Por quanto se nos ha dado noticia y hemos sido informado por consultas de nuestros Conseios y relaçiones de personas bien consideradas, y zelosas de nuestro seruicio, y de la conseruaçion de nuestra reputaçion, y de la quietud, y soßiego de nuestros vassallos, y espicialemente de los naturales de nuestro fidelißimo Reyno de Sicilia: Que Cesar Baronio Cardenal que fue de la Santa Iglesia Romana en el tomo vndecimo de sus

Annales Ecclesiasticos (que dexò escritos, y publicados) en la vida de Vrbano Papa Segundo año de mil y nouenta y siete en vn discurso largo y prolixo con palabras, y razones menos templadas, y compuestas de lo que pedia su professión, procediendo mas en forma de accusation y inuectiua que de relaçion historica, pretendio hazer no solo sospechosos però falsos, iniustos, viciosos y violentos los principios y titulos con que los Serenissimos Reyes de Sicilia nuestros antecessores adquirieron iuntamente con el Señorio las regalias y preheminençias que desde entonces hasta agora han retenido y conseruado quieta y pacificamente y se han deriuado sin interrupçion que sea legitima hasta nuestros tiempos, y que no deuemos ni podemos permitir que con la le-

ction

ction de relaçion tan poco bien considerada como es la que haze el Cardenal se inquieten y dessassos y sieguen insensiblemente los animos de nuestros vassallos, y se pueda en algun tiempo poner nota o macula en la reputaçion y consciençia de aquellos Reyes, y en la nuestra siendo cierto que como se puede colligir, y entender de las exclamaçiones y exageraçiones de que vsa se dexo lleuar de affecto y passion particular o por lo menos que escriuio con poca notitia y inescusable ignorancia de la verdad de la historia, pues es cosa tan notaria y sabida en el mundo que los dichos nuestros antecessores adquirieron y consiguieron y han retenido y conseruado todos aquellos drechos como attributos proprios y preheminencias

de la dignidad y Mageſtad deſte Cetro y Corona Real, y en quanto ha ſido neceſſario con benediçion conceſſion y permiſsion tacita y expreſſa de los ſumos Pontifices mouidos y obligados de la razon de iuſto agradecimiento, y en alguna remuneration de los grandes y notables merecimientos que aquellos Catholicos Reyes tuuieron con la Igleſia de Dios y con la ſanta ſede por hauer reducido à ſu gremio y obediencia aquel Reyno deſpues que por ſecreta permiſsion diuina hauia muchos años que eſtaua en poder de los Saracinos y en miſerable ſeruidumbre de los Mahometanos con ignominia y affrenta y aun con miedo y peligro de los mas reynos y prouincias de la Chriſtianidad y particularmente de Italia y de la miſma ciudad de Roma aſsiento del trono de

no de la ſanta ſede Apoſtolica madre y cabeça de la Igleſia Catholica y hauer derramado ſu ſangre en tan glorioſa conquiſta gaſtado y conſumido ſus grandes riquezas, y Real Patrimonio en reedificaçion y dotaçion de las Igleſias y Monaſterios que hauiẽdo ſido templos, a donde en ſu principio fue alabado con cultô diuino el verdadero nombre de nueſtro Señor, y profeſſado, y confeſſado la fee y religion de Chriſto los hauian los infieles enſuciado, y profanado, ſacrilega y auomineblemente haziendo los mezquitas del perfido Mahoma y eſtablos de cauallos, y hauiendo ſido eſtos ſeruicios tã agradables en los oios de los ſan tos y Romanos Pontifices acrecentados con otros no menos conſiderables en los oios de los ſantos y Romanos Pontifices acrecentados con-

otros no menos considerables que los succeſſores de aquellos primeros Reyes y nueſtros progenitores, y nos hauemos hecho defendiendo continuamente la auttoridad y mageſtad de la ſede Apoſtolica opponiendo nos con nueſtras perſonas, y con las de nueſtros vaſſallos, haziendas y fuerças a todos ſus enemigos, y a los que han pretendido diminuirla y deshazerla de manera que por la gracia de Dios en el Reyno de Sicilia ha ſiempre florecido y florece pura y Catholicamente, mas que en otros de la Chriſtianidad, por donde ſe entendera que no fueron iniuſtos y vicioſos ſino muy iuſtos y glorioſos principios los que han dado titulo a la poſſeßion en que por tantos ſiglos y edades han eſtado los dichos Reyes de vſar aquellas regalias y preheminencias, y con quanta ſigu-

ridad

ridad de nueſtra real conſciencia y reputacion Chriſtiana, y reſpectiua a la ſanta ſede Apoſtolica, y la hauemos podida, y podemos continuar, y aſsi queriendo proueer de conueniente remedio para ataiar el daño que podria cauſar con el tiempo, y con nueſtra tolerancia, y diſsimulacion la permiſſion de la lection de aquel libro, y de ſu relacion, y deſſeando no faltar a la obligation que tenemos de conſeruar los derechos, legitimos y iuſtos en que ſuccedimos, iuntamente con los miſmos Reynos, y eſtados que nueſtro Señor ha ſido ſeruido de encommendarnos, ſin permitir ni dar lugar a que conſemeiantes calumnias (aun en el ſentido de los mal intencionados y emulos de nueſtra felicidad) ſea notada la mageſtad de nue-

ſtra corona, con tan euidente eſcandalo, como podrian cauſar en el nueſtro Reino de Sicilia, y en los otros nueſtros, y hauiendolo comunicado y conſultado con nueſtros conſeios, hemos acordado de ordenar y mandar en eſte Edicto, y pragmatica ſancion, Que ninguna perſona de qualquiera dignidad y eſtado, y condicion que ſea quanto quiera priuilegiada pueda meter, tener, vender, ny comprar en nueſtros Reynos, y ſeñorios, el dicho tomo vndecimo, de baxo del nombre de ſu autor, ni de otro impreſſo, ni eſcrito de mano, en ninguna lengua, con el dicho diſcurſo ſobre la dicha monarchia, que comiença deſde el verſiculo [Hic auctor aggreditur,] *y acaba en el verſiculo* [Iam vero canentes receptui, quæ poſt Vrbani Papę datum diplo-

ma Sa

ma Salerni ſunt ſecuta, narremus.] *ni ſin el teſtimonio de la correçion, hecha por la perſona diputada para eſto, ſo pena que por la primera vez, que lo contrario hiziere, pague quinientos eſcudos vſuales del Reyno, eſtado, o ſeñorio donde lo tal ſuccediere applicados, por tercias partes, a nueſtro real fiſco, Iuez, y denunciador, y por la ſecunda incurra en la miſma pena pecuniaria, y en deſtierro del Reyno, por cinco años, el qual no quebrante ſo pena de complir le doblado ſiendo perſona noble, y no lo ſiendo en galeras al remo, y que eſto tan bien, ſe entienda, con los que al preſente tienen el dicho libro, ſi dentro de quinze dias contados deſde la publicacion deſte Edicto, no le manifeſtaren y entregarẽ alas perſonas que para eſte effecto fueren diputadas para la correçion arriba dicha. Y pa-*

ra que esto se guarde cumpla, y execute con la puntualidad y obseruancia que conuiene. Mandamos que se libren nuestras prouisiones, y cartas por todos los nuestros conseios que con nos reside para que se guarde y execute, en los demas nuestros Reynos, estados, y señorios, Mandando a los nuestros Vicereyes, Gouernadores, Lugartenientes, y Capitanes Generales, Conseios, Senados, Chancillerias, Audiencias, Tribunales, Iuezes, Iusticias, Ministros, y Officiales della mayores, y minores que al presiente son, o, por tiempo fueren, que cada vno en su districto, y iuridiçion hagan obseruar, y executar inuiolablemente todo lo contenido en este nuestro real Edicto. Dado en Santlorenço, a tres de Octobre, 1610.

YO EL REY.

R. vidit Lanz. R. vidit Quintana Duegna. R. vidit Caymus. R. vidit Marcus Antonius de Ponte. R. Dominus Rex mandauit mihi Laurentio de Aguirre, Panhormi die 16. Decembris ix. indictione 1610. præsentata Illustrissimo Domino Locum tenenti Generali Et mandat quod Spectabilis Regius Consiliarius Conseruator Regij Patrimonij recognoscat & referat. Vincentius Lanfruccus M. N. eôdem facta recognitione & relatione prædicta, sua illustrissima Dominatio mandauit quòd fiant executoriæ. Io. de Vegha Cōseruator. *Percio in essecutione di quanto la prefata Maestà sua, ordina & osseruatione della preinserta nuestra prouista. Vi ordinamo che debbiate essequire, & fare per cui spetta essequire &*

obseruare le preinserte Regie Lettere, & Edicto secondo il loro serie & tenore guardandosi di far il contrario se la gracia de sua Maestà si tiene chara. Dat. Panormi die 17. Septembris ix. indictione, 1610.

El Cardenal Ioannetin Doria.

Dominus Locumtenens Generalis mandauit mihi Vincentio Lanfrucco M. N. visa per Io. de Vegha Conseruatorem.

Io. de Vegha. C.

Imprimatur, De Rao, P.

213